CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
EDITUM CONSILIO
UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE
ET UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS
Vol. 10

SCRIPTORES SYRI
TOMUS 10

# PHILOXENI MABBUGENSIS

## TRACTATUS TRES DE TRINITATE ET INCARNATIONE

INTERPRETATUS EST

A. VASCHALDE

LOUVAIN
Secrétariat du CorpusSCO
Waversebaan, 49
1907

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/tractatustresdet02phil

LIBRARY
Toronto, Ontario

# SCRIPTORES SYRI

SERIES SECUNDA — TOMUS XXVII

PHILOXENI MABBUGENSIS

TRACTATUS TRES DE TRINITATE ET INCARNATIONE

# CORPUS
# SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

CURANTIBUS

I.-B. CHABOT, I. GUIDI
H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

# SCRIPTORES SYRI

TEXTUS

SERIES SECUNDA — TOMUS XXVII

## PHILOXENI MABBUGENSIS

TRACTATUS TRES DE TRINITATE ET INCARNATIONE

EDIDIT A. VASCHALDE


PARISIIS
E TYPOGRAPHEO REIPUBLICAE

CAROLUS POUSSIELGUE, BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE : OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCVII

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

# SCRIPTORES SYRI

SERIES SECUNDA — TOMUS XXVII

PHILOXENI MABBUGENSIS

TRACTATUS DE TRINITATE ET INCARNATIONE

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
CURANTIBUS
I.-B. CHABOT, I. GUIDI
H. HYVERNAT, B. CARRA DE VAUX

# SCRIPTORES SYRI

VERSIO

SERIES SECUNDA — TOMUS XXVII

# PHILOXENI MABBUGENSIS
## TRACTATUS DE TRINITATE ET INCARNATIONE

INTERPRETATUS EST A. VASCHALDE

ROMAE
EXCUDEBAT KAROLUS DE LUIGI

PARISIIS
CAROLUS POUSSIELGUE BIBLIOPOLA
15, RUE CASSETTE, 15

LIPSIAE: OTTO HARRASSOWITZ

MDCCCCVII

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

OCT 15 1975

DE

# PHILOXENI MABBUGENSIS

## VITA ET SCRIPTIS

---

### I

Philoxenus, primum quidem Xenaias dictus, Taḥal in oppido provinciae Garmaeorum, Persarum dicione, natus est ante medium saeculum v. Eum fuisse condicione servum et baptismatis exsortem fabula est in odium viri haeretici ab orthodoxis excogitata.

Cum fratre suo, Addai nomine, disciplinis studiorum operam navavit Edessae, in celebri Schola, dum Ibas urbis episcopatum gerebat (435-457). Quo autem anno Edessam reliquerit nobis incompertum est.

Scimus tamen eum confessionem unius in Christo naturae, summo ardore propagavisse et concilium Chalcedonense acriter impugnavisse, tum in Mesopotamia tum in Syria; monachos praesertim sibi conciliare studuit, et apud eos magnum favorem assecutus esse videtur.

Calandion, patriarcha orthodoxus Antiochiae (482-485), e sua dioecesi, quam praedicationibus perturbabat, Philoxenum expulit. Sed mox patriarcha, cum *henotico* Zenonis subscribere constanter recusaret, in Aegyptum relegatus est, ac sedem Antiochenam tertia vice accepit Petrus Fullo.

Is autem, Hierapoleos (quam civitatem Syri *Mabbūg*, hodierni vero Arabes *Manbidj* dicunt) episcopum instituit Philoxenum, anno 485.

Episcopatum adeptus, totus in id incubuit ut doctrinam *henotici* confirmaret, concilium Chalcedonense abrogaret, orthodoxos persequeretur, faventibus Petro Fullone eiusque successore Palladio. Cum autem Flavianus II in Palladii locum substitutus, anno 498, spem Monophysitarum fefellisset, eum exagitare coepit Philoxenus; anno 499, ut videtur, Urbem regiam petiit ut Anastasium imperatorem adversus patriarcham concitaret.

Bellum persicum, annis 502-505 gestum, animum imperatoris a dogmaticis disquisitionibus, paullulum divertit; sed, rebus compositis, iterum Constantinopolim profectus est Philoxenus et Anastasium ita commovit, ut Flavianus *henotico* iterum subscribere, episcopos nonnullos nominatim anathematizare, concilium Chalcedonense reprobare coactus est: quibus tamen peractis, odium Philoxeni minime placavit neque is requiem habuit donec Flavianus, e sede eiectus, Petras relegatus est, anno 512. Philoxenus autem et amici eius episcopi sine mora patriarcham Antiochenum instituerunt famosum Severum.

Anno 518, mortuo Anastasio, Iustinus I, orthodoxus, imperium obtinuit. Anno sequenti, plerosque episcopos Monophysitae doctrinae fautores in exilium expulit, et inter eos Philoxenum. Is vero primum Philippopolim in urbem Thraciae deportatus est, unde anno 522 epistulam scripsit ad monachos Senunenses. Brevi post, Gangra in Paphlagoniam translatus est, ibique fumo suffocatus interiit, anno 523, annos natus plus quam octoginta.

II

Philoxeni opera saepius a suis Monophysitis descripta esse testes sunt multi codices in quibus ad nos pervenerunt, etsi non omnia, saltem eorum partes maximae. Ei adscribuntur:

I. Opera exegetica:

*Translatio Veteris et Novi Testamenti* ab eius nomine *Philoxeniana* dicta;
*Commentarii in Novum Testamentum.*

II. Opera liturgica:

*Anaphorae tres;*
*Ordo baptismi,* — et *Ordo brevis consecrandae aquae Baptismi;*
*Preces Eucharisticae.*

III. Opera theologica: 1) Dogmatica:

*De Trinitate et Incarnatione,* tractatus III;
*De uno ex Trinitate incarnato et passo,* tractatus X;
*Disputatio cum quodam Nestorianorum doctore;*
*Tractatus adversus Nestorianos et Eutychianistas;*
*Tractatus de Fide;*
*Sermo de annunciatione Beatae Mariae.*

Aliaque breviora, nempe: *Tractatus adversus haereses; Capita XII adversus eos qui profitentur duas naturas et unam personam in Christo; — Capita XX adversus Nestorianos; — Capita VIII adversus quemlibet Nestorianum; — Capita V adversus Nestorianos; — Capita X adversus eos qui dividunt Christum post unionem; — Capita VII adversus eos qui dicunt propositiones pravas haereticorum, non autem ipsos et totam eorum doctrinam, condemnandas esse; — Capita III adversus haereses; — Demonstratio de una natura in Christo — De unione duarum naturarum; — Confessio fidei adversus concilium Chalcedonense; — Responsio ad interrogantem: Quomodo credis? — Variae fidei professiones.*

2) Moralia:

*De institutione morum,* tractatus XIII;
*Expositio parabolae decem talentorum;*
*Num recedat Spiritus sanctus ab homine peccante;*
*Exhortatio;*

*De fratre defuncto;*
*Regulae monasticae;*
*Precationes variae.*

IV. Epistulae (pleraeque dogmaticae et polemicae), scilicet:

*ad monachos Gaugalenses*, duae;
*ad monachos Amidenses;*
*ad monachos Telledenses;*
*ad monachos Senunenses;*
*ad monachos orthodoxos;*
*ad Arzunitas;*
*ad fratres reclusos;*
*ad Zenonem imperatorem;*
*ad Abraham et Orestem, presbyteros Edessenos;*
*ad Patricium, Edessenum;*
*ad Abū Nafīr, stratelatem;*
*ad Iohannem II, Alexandrinum;*
*ad Marūn, lectorem;*
*ad Simeonem, archimandritam Telledensem;*
*adversus Habibum;*
*ad monachum novitium;*
*ad quemdam discipulum;*
*ad virum e Iudaismo conversum;*
*ad quemdam e discipulis suis;*
*ad amicum, de fuga mundi;*
*ad iurisperitum qui monachus factus est.*

## III.

De vita, scriptis et doctrina Philoxeni fuse scripserunt:

J. S. Assemani, *Bibliotheca orientalis*, t. II, p. 10-46;
E. W. Budge, *The Discourses of Philoxenus, bishop of Mabbôgh*, London, 1894, vol. II, pp. xvii-lxv;
A. Vaschalde, *Three Letters of Philoxenus, bishop of Mabbôgh*. Romae, 1902.

Vide praeterea scriptores de re Syrorum litteraria, et de historia ecclesiastica.

Ex operibus Philoxeni hucusque haec edita sunt:

Fragmenta versionis Philoxenianae Isaiae prophetae, apud Ceriani, *Monumenta sacra et profana,* vol. V, p. 1-40; et eiusdem *Apocalypsis,* coniiciente editore M. Gwynn, *The apocalypsis of st. John in a syriac version hitherto unknown,* Dublin, 1897.

*Anaphorae duae,* latine tantum, apud Renaudot, *Liturgiarum orientalium collectio,* t. II, p. 300, 309.

Epistula ad Abū Nafir, apud Martin, *Syro-Chaldaicae institutiones:* 1873, p. 71-78.

Epistula ad monachos Telledenses: Ign. Guidi, *La lettera di Filosseno ai monaci di Tell 'Addà*; Romae, 1886.

Epistula ad Abraham et Orestem, apud Frothingham, *Stephen Bar Sudaili, the Syrian mystic, and the book of Hierotheos*; Leiden, 1886.

*De institutione morum* tractatus xiii, edidit E. W. Budge, in opere supra laudato, adiecta anglica versione. In eodem opere dedit quoque editor scripta minora septem, nempe: *Tractatus adversus haereses; — Capita XII adversus eos qui profitentur duas naturas et unam personam in Christo; — Capita XX adversus Nestorianos; — Capita VII adversus quemlibet Nestorianum; — Capita X adversus eos qui dividunt Christum post unionem; — Confessio fidei adversus concilium Chalcedonense; — Responsio ad interrogantem: « Quomodo credis? ».*

A. Vaschalde in opere supra laudato, tres edidit epistulas, nempe: *Epistulam ad monachos orthodoxos; — Epistulam priorem ad monachos Gaugalenses;* — et *Epistulam ad Zenonem imperatorem.*

---

## DE TRACTATIBUS

## DE TRINITATE ET INCARNATIONE

Tractatus Philoxeni tres de Trinitate et Incarnatione, quos nunc publici iuris facimus, in unico codice, Vaticano syriaco CXXXVII, ad nos pervenerunt, ut in praefatione ad textum iam diximus. Quid vero de isto opere sentiendum sit, satis bene exposuit Assemanus, cuius verba hic exscribere iuvat:

« In tractatu de Trinitate, inquit [1], nihil notatu dignum occurrit, si eum errorem excipias, quem circa Spiritus Sancti processionem admittit Xenaias.

« In tractatu vero de Incarnatione, nec orthodoxum gerit nec Eutychianum, sed mediam quandam init viam, quam Iacobitae post ipsum tenuere, et usque in hodiernum diem tenent: unam scilicet in Christo esse naturam ex divinitate et humanitate compositam, conversionis tamen, confusionis et commistionis omnino expertem. Sic enim ille de Incarnationis mysterio. Filius, inquit, qui unus ex Trinitate est, univit sibi personaliter corpus, anima rationali et mente praeditum, in utero Deiparentis. Non ante formatum corpus quam Verbo unitum, sed in puncto temporis et formatum et unitum. In hoc Christus natus, in hoc enutritus, in hoc passus, in hoc mortuus. Divinitas Filii nec passa, nec mortua. Haec autem omnia non apparenter, non phantastice, sed vere et naturaliter gesta. Denique Verbum non in carne conversum, aut cum ea commistum, vel con-

[1] *Bibl. orient.*, II, p. 25-26.

fusum, neque ab ea divisum et vice versa; sed eo modo humanitati unitum quo anima rationalis corpori: et quemadmodum ex anima rationali et corpore una conflatur humana natura; ita ex humanitate Christi et divinitate una consurgit natura, non quidem simplex, sed composita, seu, ut recentiores Iacobitae loquuntur: *una natura duplex* . . . . Plura autem exempla producit, sed potissimum unionis animae cum corpore. Hinc ab Eutychianis simul et catholicis Xenaias recedit: ab illis quidem, quia carnem Christi veram esse et ex Virgine sumptam et divinitati citra confusionem aut mutationem aut divisionem unitam affirmat: a Catholicis vero, quia non duas asserit post unitionem mansisse naturas, sed *ex duabus unam compositam*: quod animae rationalis et corporis exemplo, ut supra dixi, ostendere frustra conatur ». Et haec de doctrina huius operis satis.

Quod vero coniecit Assemanus, nempe, opus nuncupatum fuisse monachis fortasse Nestorianis, nobis parum probabile videtur. Coniectura enim fundamento nimis infirmo innititur. Leguntur in tractatu secundo haec verba: « Et is qui *inter vos* Doctor nuncupatur, quem dicunt prae quovis alio Interpretem Librorum, Theodorus, inquam, pater et causa huius haereseos, sine pudore duos filios demonstravit ». Re quidem vera, habet codex *inter vos*, ܒܝܢܬܟܘܢ, non autem ܒܝܢܬܗܘܢ, *inter eos*, sicuti lapsu edidimus, p. 176, l. 25. Sed videtur e contextu hic mendum esse amanuensi adscribendum, neque in toto opere locus e quo haec opinio firmari possit invenitur. Immo, ex his quae habet initio eiusdem tractatus secundi (cf. infra, p. 31) dubium vix esse potest quin a monophysitis viris rogatus opus conscripserit Philoxenus.

Scribebam kal. iuniis anni MDCCCCVI.

A. V.

# PHILOXENI MABBUGENSIS

## TRACTATUS THEOLOGICI TRES

### [TRACTATUS PRIMUS

### DE TRINITATE] [1].

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . p. 3.
. . . . . . . cogitationis eius se vertit ad labores, ut inspiciat thesaurum scientiae mysteriorum altissimi, quia intuitum suum ad suos pedes posuit, sive considerans ne offendat in via legum, sive intuens ne declinet ad dexteram aut ad sinistram e semita mandatorum. Quando enim transgressus est homo viam onerosam, et collecta est mens eius a visu et vagatione circa omnem partem, tum recte adspicit sine obstaculo ante se, et videt eum qui positus est coram vultu eius, cuius etiam..... [2] positus erat. Demittit enim se Iesus ad eos qui cognoscunt eum, et efficit ut percipiant eum quicumque eum percipiunt, et intellegant eum vere illi qui secundum virtutem suam praecognoverunt eum. Quando autem quis laboravit in exercitatione illa, ex qua coepit servare mandata, et superavit omnes gradus custodiae mandatorum, et penitus occidit in seipso hominem veterem concupiscentiae, et manifestata est ei renovatio eius per scientiam ope visus intellectualis, et factus est homo novus eo modo quo eum genuit gratia, et percepit nativitatem suam secundam per scientiam, in generatione gratiae quam, donec ex ea nasceretur, non senserat; *et vidit naturam suam p. 4
veram, quae nata est e baptismo, per intellectum spiritalem, cum non est amplius in eo ne minima quidem recordatio pristinae vetustatis; et stetit in loco scientiae quem perdidit primus homo: *tum* huiusmodi *homo* solus potest recipere in intellectu suo [communicationem] [2] amoris veri, qui in Christo *est*, ita ut

[1] Initio desiderantur folia duo. — [2] Vox deleta in codice.

fiat susceptor novi amoris homo novus, et ponatur lapis supra lapideum, et inseratur surculus in arbore eiusdem generis, et mandatum novum in generatione nova incipiat, eumque crescere faciat. Et quando accepit homo novus hoc mandatum novum amoris, quod dedit Christus, tunc incipit amor ingredi ad scientiam naturarum, et acquirere cognitionem spirituum propriam, quae non per disciplinam solet acquiri, sed facie ad faciem ipsas res intuetur et cum naturis etiam earum rationes scrutatur, ponens quidem fundamentum firmiter et recte aedificans.

Illum igitur solum, qui hunc gradum assecutus est, decet de quaestione divinitatis disserere. Ego vero a vobis rogatus sum, cum in hac via ne incedere quidem coeperim, ut loquar de iis quae in fine viae ponuntur, et de civitate illa ad quam haec via ducit, et de omnibus bonis eius, et etiam de Rege qui in hac civitate habitat. Sed quia gratia potest mentem per quamcumque semitam vult trahere, et absque via laboris per aliam semitam fidei hominem ad visionem veritatis adducere, cum fide tractabimus de iis quae per gratiam accepimus. Non enim per scientiam, quae ex amore spiritali tantum oriri solet, nunc disseremus, sed per motus fidei quae est initium viae mo-
p. 5. rum. Etenim sermo de natura Essentiae *tractare debet. Ille autem solus se intellegere potest, qui naturam suam prioribus *hominibus* et personas suas posterioribus [3] revelavit. Itaque, ut didicimus, sic et credimus unam esse naturam divinam quae est sola, creatrix omnium, nec ab alia creata est. Quapropter ea sola est natura vera, et essentia immutabilis. Ipsam exsistere solummodo didicimus; quo autem modo et ubi exsistat, nec mens assequi, nec sermo dicere valet. Nam si intellectus id cognoscere valeret, haec natura, ut opinor, non aemulata esset creaturis sese revelare. Voluit enim in amore suo immenso nobis revelare quidquid de ipsa cognosci poterat; sed quia scit naturam creatam non posse percipere nisi exsistentiam eius, modum existentiae suae occultavit nobisque dumtaxat se existere revelavit. Nam ne ipsa quidem, ut opinor, cognoscere posset quomodo existat, si non esset ens supremum. Ad essentiam enim solam pertinet cognoscere etiam quomodo ipsa exsistat; creatura autem rationalis hoc possidet, et hoc solum ei datum est, ut cogno-

[3] I. e. naturam in Veteri, personas in Novo Testamento.

scat existentiam Creatoris, non vero modum, nec magnitudinem, nec rationem, nec finem, nec causam, nec originem, nec durationem existentiae eius. Patet enim haec omnia ab omni creatura abscondita esse, nec ulla e creaturis ea cognoscere posse. Natura autem essentialis seipsam cognoscit, et nihil est in essentia eius quod ei non sit apertum, quia non cognoscit aliquid et aliquid ignorat. Etenim essentia eius partes non habet, quia mutationes in ea non sunt; nec est in ea aliquid maius et aliquid e contra minus. *Haec natura non habet membra, quia non p. 6.
est compositio in ea, nec formas creatas quia non est una e creaturis. Ipsa sibi soli est manifesta, in seipsa gaudet, in seipsa laetatur, seipsa fruitur, in seipsa exultat, a seipsa discit, seipsam novit, seipsam cognoscit, seipsam intellegit, seipsam metitur, seipsam mensurat, seipsam assequitur, seipsam concludit, seipsam circumscribit, seipsam continet. Ipsa est sibi substantia, locus suae naturae, et terminus essentiae suae. Ipsa in se movetur, et in seipsa quiescit. Quies eius non est in aliquo extra eam; nihil enim, quod cognoscitur extra eam exsistere, ad quietem eius sufficit, sed quies eius est ipsa eius essentia, et fruitio eius est eius natura. Quomodo enim in aliquo a se alieno frui posset? Nam nulla fruitio excellentior ea est quae extrinsecus accedat ad eam eique laetitiam afferat. Omnia auxilia in ea sunt; omnes voluptates in ea inveniuntur; omnes deliciae ex ea nascuntur.

Ipse *Deus* fons est omnium bonorum et origo omnium utilium. Ex eo et in eo est gloria eius. Ipse in se videt naturam suam; ipse solus se cognoscit; et quod ex eo non est non potest eum, sicuti est, cognoscere. Nihil potest esse ei speculo, quia natura eius latior est omnibus operibus *eius*, et essentia eius maior est omnibus creaturis. Vultus creaturarum non possunt imaginem eius spatiosam et ingentem in se continere, nam ille, qui omnia continet et nullo continetur, infinitus est et finitis non concluditur. Pulcher est et desiderabilis; et pulchritudo creata non potest pulchritudinem eius depingere. Nihil eum demonstrare valet, quia nihil est ei simile. Non est in eo huc nec illuc, quia in omni loco est; non est in eo hic nec illic, quia *divisibilis non est. Non est in eo iuventus nec se- p. 7.
nectus, quia aeternus[1] est; non est in eo maius nec minus, quia

[1] Ad litteram *antiquus*, scilicet *dierum*; cf. Dan., vii, 9.

perfectus est. Nihil habet quod ei non conveniat, quia sibi consentiens est; nihil est in eo quod non det, quia ditissimus est; nihil est in eo quod non diligat, quia bonus est. Nihil in eo incipit nihilque desinit. Non est in eo cogitatio nova nec motus recens.

Cogitationum incrementum non recipit, nec cogitationis suae pristinae obliviscitur. Memoriis non augetur, nec oblivione minuitur. Nihil noviter discit, nec accipit scientiam quam non haberet. Scientia extrinsecus in eum non intrat, quia ipse est fons omnium scientiarum. Ipse est locus habitaculi sui, quia nullus locus potest eum capere. Natura eius est fruitio eius, quia nihil creatum ad fruitionem eius sufficit. Nihil in eo desinit, quia nihil in eo incepit. Ante initium est natura eius, et ultra finem est eius essentia. Ipse est via cursus sui et semita profectionis suae. Ipse in se progreditur; ipse in se ambulat; et extra seipsum non exit, quia motus eius totus ad eum tendit. Unus est, quia simplex est in omnibus et compositionem partium non habet. Non sunt in natura eius membra, nec in voluntate eius partes, nec in cogitatione eius mutationes, nec in mente eius divisiones.

Nihil habet quod ei non conveniat, quia nihil in eo est quod ex eo non sit. Creatura in eum non intrat, nec creatura eum recipere potest. Natura aliena in eum non intrat, nec natura aliena eum recipere valet. Nullum potest pati incrementum, p. 8. nullum detrimentum. Completus est *et incrementum non accipit; perfectus est, nec ut perficiatur indiget. Una est natura eius, unaque voluntas eius. Quemadmodum natura eius unica est, ita et unica voluntas eius. Essentia eius non habet initium, nec intellegentia eius. A tempore quo exsistit natura eius, inde etiam exsistit voluntas eius. Natura eius voluntati eius aetate non praestat, nec essentia eius intellegentiae eius. Nunquam exstitit natura eius quin cum ea exsisteret etiam voluntas eius; nunquam voluntas eius a natura eius separata est, sicut nec natura eius ab essentia eius. Etenim nulla prorsus divisio in eo est, quia omnes divisiones extra eum sunt.

Nominibus diversis appellatus est, licet apud se unus sit absque nomine. Quod si nomina habet, ex operibus suis ea accepit, nam in essentia sua unus est, quia mutatio in eo non est. Appellatus est iustus, rectus, vindex, rex, iudex, dominus, factor, creator, provisor omnium, misericors, suavis, bonus, et aliae

huiusmodi diversae appellationes et nomina alia aliis dissimilia quibus vocatus est qui sine nomine est. Etenim haec omnia nomina essentiam eius non attingunt et recentiora sunt natura eius. Cum autem creaturis inceperunt, nam nomina pertingunt ad voluntatem eius, quae est causa rerum, et eam respiciunt. Voluntas eius est principium operum eius, et omnia eius nomina ex operibus eius sumuntur. Nullum nomen habet absque operibus; naturam vero habet etiam sine operibus. Nomina ad naturam eius non attingunt, quia cum operibus eius inceperunt. Ante opera natura est sine nominibus et essentia sine appellatione; ab operibus autem et deinceps nomina accesserunt, quia apparuerunt opera.

**Deus* naturae suae nomine non vocatur, quia nullum nomen p. 9. naturam eius denotare potest; nec qui nomen ei imponeret ante eum exsistebat. Nomina antecedit, quia antecedit initium. Nomen compositum ei non convenit, quia essentia eius antecedit compositionem. Simplex est et partes compositionis non habet; quapropter appellationes compositae ei non conveniunt. Quod si possibile esset nomen simplex pro eo componi, congruens naturae eius simplici, huiusmodi nomine a nobis appellaretur. Sed quia nomen non potest esse sine compositione, cum essentia antecedat compositionem, haec remansit sine nomine, nam omne nomen litteris componitur. Natura autem simplex naturas compositas creavit, et cum operibus compositis etiam appellationes compositae ei inventae sunt. Donec vero conderentur opera, nomina non sunt efformata.

Nec lingua eum vocare potest, quia sub signa linguae non cadit. Vocatur bonus, sed inferius eo est nomen bonitatis. Appellatur misericors, sed inferior eo est misericordia. Dicitur factor, sed inferiora eo sunt opera. Nominatur provisor, sed cura eius super alios diffunditur. Apud se unus est; cum autem ad nos exivisset multiplex factus est. Apud se sine divisione est; apud nos vero dividitur secundum nomina quae ei tribuimus. Apud se sine partibus est; sed, licet unus sit, nomen eius litteris componitur. Apud se sine passione est; sed secundum oeconomiam, appellationem passionum accepit. Apud se sine figura est; sed in visionibus apud nos figuris ostenditur. Apud se silens est; sed apud nos verbo appellatur. Apud se tacens est; sed voce a nobis invocatur.

p. 10. *Essentia eius est sine causa, et bonitas eius est sine causa. Quia sine causa exsistit, causa omnium esse potuit; quia non incepit, potuit omnibus dare initium; quia non est factus, factor est omnium; quia nihil ante eum erat, omnia eo posteriora fecit; quia ab alio non est creatus, omnia ad exsistentiam adduxit: et quia ab alio non edoctus est, servos suos sapientia sua implevit.

Essentia enim est quae potuit omnia facere; et natura quae ab aeterno exsistit, omnia quae facta sunt condere valuit. Etenim quod creatum est non potest quidquam ex nihilo creare, et quod factum est nequit opera absque materia facere. Nulla enim prorsus virtus est in creatura qua aliam creaturam ex nihilo ad exsistentiam adducere possit: sed qui neque ex aliquo, neque ex nihilo factus est, is solus potuit ex nihilo aeque ac ex aliquo omnia facere. Deus ergo solus est factor et creator omnium, dominus virtutum, rex creaturarum, provisor omnis carnis, sapiens et doctor, ante tempora et creans tempora, sine initio et dans initium, natura bonis suis plena. Non retribuit tanquam debitor; sed ut bonus indigentes nutrit. Nihil prorsus indiget, quia plenus est et non est deficiens in essentia sua. Ipse solus vivit; ipse solus bonus est; ipse solus benefactor. Non indiget, sed necessitatibus subvenit; non deficit, sed deficientes complet; non factus, creaturas facit; ens *aeternum*, initia profert; virtus, fortes creat; spiritus, facit spiritales; lumen, illuminator est omnium.

p. 11. Natura eius sermone non exprimitur, *quia gesta eius intellectu non apprehenduntur; essentia eius non percipitur, quia nulla mens ad eam sufficit. Inferior eo omnis investigatio est, et tantum circa opera *eius* versatur. Superior est disputatione, quia est supra initium. Lingua nequit de eo disputare, quia cogitatio eum non apprehendit; verba eum non enarrant, quia mens eum non percipit. Silens et ineffabilis est essentia eius; tacens et inexplicabilis natura eius. Sermo eum non declarat, quia natura eius litteris non scribitur. Absconditus est prae cogitationibus mentis; secretus est prae verbo intellectus filio. Ipse solus scit de se enarrare, et nemo eum dicere potest. Non apprehenditur investigatione creaturarum, nec percipitur scrutatione rationalium, nec mensuratur intellectu spiritalium, nec prehenditur manibus cogitationum, nec capitur digitis mentis, nec

balbutiant eum facultates animae subtiliores. Prae subtilitate eius mens crassa est; et prae spiritalitate eius anima corpus est. Spiritus est increatus, cum spiritibus creatis haudquaquam comparandus. Secretus est et revelatus; occultus et manifestus; absconditus et visibilis: secretus in essentia sua et revelatus in misericordia sua; celatus in natura sua et visibilis in amore suo; absconditus in aeternitate sua et manifestus in bonitate sua. Nisi se revelat, nihil creatum potest eum revelare; nisi suam existentiam declarat, rationalia non valent eum declarare; nisi de se ipso verbum dat, verbum solitum non potest eum exprimere; nisi de se enarrat, nemo prorsus potest eum dicere.

Non est magnitudo eius talis mensurae ut qui paulo minores eo fuerint eum declarent. Praeter fines et tempora et terminos exsistit naturaliter: in eo continentur termini: in eo concluduntur fines; in eo ponuntur saecula; *in eo continentur tempora; p. 12.
in eo se movent creaturae; in eo stabiliuntur naturae: in eo servantur quae facta sunt; in eo se movent omnia ad vitam et firmitatem et subsistentiam, iuxta vim verborum Apostoli [1]: « In ipso vivimus, et movemur, et sumus ». In gutta enim vitae eius suspenduntur saecula; halitu virtutis eius subsistunt creaturae; motu dexterae eius condita sunt opera, et signo brachii eius stabilitae sunt naturae. Tanquam uterus omnia continet; tanquam infinitus in omnibus est; tanquam vivus omnia vivificat. Extra omnia est, quia est ante omnia; in omnibus est, quia est post omnia. Tanquam fulcrum omnia sustinet; tanquam virtus omnia potest; et providentia eius omnia se movent ad cursum et incrementum et stabilimentum suum.

Nullo modo potest depingi aut figurari. Pictores spiritales, qui nomina eius verbis suis descripserunt, ab eo didicerunt quo nomine eum vocarent; nam ii nomina eius, non naturam, et appellationes eius, non essentiam, depinxerunt. Depictus est enim variis similitudinibus, quia complacuit voluntati eius ut iuxta nominum eius figuram creatura rationalis eum depingeret. Delineata est imago eius nominibus voluntatis eius, quae nutu virtutis suae condidit omnia quae facta sunt: sed, quia ipse omnia depinxit ornavitque, nulla creatura potuit eum depingere. Magna quidem est essentia eius: sed quam magna nemo

[1] *Act.*, XVII, 28.

scit. Laudabilis et metuenda est natura eius; sed quo gradu nemo intellegit. Infinita est natura eius, inscrutata essentia eius, immensa virtus eius. Bona eius mensurata non sunt, nec splendores eius aequiparati, nec decus eius delineatum, nec sapientia eius declarata, nec mens eius comprehensa, nec aeternitas eius praecessa. Unicus est in essentia sua, et alterum ens supremum ei oppositum non exsistit, nec natura quae ei comparetur; nec deus qui sit ei similis; nec dominus qui cum eo mensu-
p. 13. retur. Natura eius initium non habet, *nec essentia eius finem. Creaturae ponuntur inter initium et finem; locus vero eius extra utrumque est. Cogitationem novam non accipit, quia non didicit quidquam quod antea ignoraverit. Nec docetur ulla quae non cognoverit, quia nihil scientiam eius effugit. Doctrinam ex creaturis non colligit, quia omnis creatura rationalis ex eo discit. Magna et laudabilis est natura essentiae eius, et magnitudo eius ex comparatione cum aliis non cognoscitur, nam magna est magnitudo eius etiamsi cum alio non comparetur; illa enim id singulare possidet quod sibi soli comparari possit.

*Deus,* non agnoscitur bonus e comparatione cum malis quia, etiam non exsistentibus malis, bonus est; nec dicitur iustus e comparatione cum iniquis quia, etiam antequam adspexerit iniquitatem, agnoscitur iustus. Decor eius non apparet e comparatione cum turpitudine, quia pulchritudo eius pulchra est etiamsi turpibus non comparetur; rectitudo eius e mendacibus non repetitur, quia veritas eius manifesta erat etiam non exsistentibus mendacibus; essentia eius non cognoscitur e comparatione cum creaturis, quia ens est aeternum etiam quando creaturae non exsistebant. *Deus* non existimatur suavis ex eo quod crudeles existunt, quia mitis est et suavis etiam saevis non exsistentibus. Malitia nostra non est causa bonitatis eius, nam bonus est natura sua, etiam antequam malitia appareret. Virtus eius non agnoscitur ex infirmitate nostra, nam fortis est etiam antequam infirmitas videretur; natura eius non est invisibilis propter visibilia, nam absconditus est et secretus etiam antequam spiritalia crearentur.

Unicus est igitur quoad omnia: quoad essentiam, et naturam, et omnia quae ex eis manant: cum aliis ne in uno quidem comparandus. Nullo enim modo creaturis comparandus est, nam non aliqua mensura maior est creaturis ille cuius magni-

tudo immensa est, *nam essentia eius absque limite est. Gloria p. 14. eius nullam habet mensuram, quia naturae eius nihil aequale est. Etenim ille, qui secundum mensuram aliis maior est, existimatur maior respectu alicuius eo minoris, sicut ea quae inter se comparantur. Sed ubi magnitudo nullum limitem habet, aequiparatio non instituenda est, quemadmodum patet, nam factor est maior operibus, et creator creaturis, et Deus hominibus. Deus enim scientia rationalium non mensuratur, quia non habet initium quo scientia ad eum accedat. Quomodo ille, qui nec initium nec finem habet, sub mensurae funiculo poneretur? Ubi enim stabit qui mensurare vult, si initium non assequatur? Et ubi invenietur qui alterum extremum teneat, si ad finem non stet? Etenim qui initium non habet nec sub mensuram cadit; nec praeterea finis in eo invenitur, quia patet eum qui non incepit, nec finem habiturum. Initium enim et finis creaturis tantum inhaerent; qui autem creator est, utroque caret. Quapropter ei competit, inde quod sit creator, praeter quam non incepisse etiam potuisse proferre initia, et praeter non habere finem, etiam sub finis termino posuisse quaecumque voluit. Quomodo quidem mensurabitur qui non apprehenditur, aut quomodo demetabitur qui non tenetur, aut quomodo numerabitur qui infinitus est?

*Deus* natura est bonis plena, nam quidquid habet ex eo est. Bona eius ab extra non petuntur, quia natura eius fons est bonorum eius, et essentia eius est origo auxiliorum eius, et principium excellentiae eius. Semper enim et in omnibus bonus est Deus, et multo magis quam omnia nomina eius, fortasse illud « bonus est » ei convenit, *quia bonus est etiam in iu- p. 15. stitia sua. Cum castigat et affligit bonus est; in iustitia sua et in ira sua bonus est; cum passione et dolore afficit bonus est; cum obstinatos condemnat bonus est; cum praevaricatores castigat bonus est; cum iniquos affligit bonus est; cum impios cruciat bonus est; cum iracundos plagis ferit bonus est; nam in his omnibus bono utitur consilio, scilicet, ut per plagas amaras graves morbos sanet et per sectiones profundas putredinem peccati eradicet; ut, praecisa ex nobis malitia, boni sicut ipse fiamus. Etenim, ut ad suam similitudinem nos adducat, multis angustiis nos affligit, ita ut omnes plagae eius ex bonitate eius oriantur; nam cum existimatur nos affligere, ex bonitate

hoc facit. Deus enim est natura bona, quae benefacere solummodo scit. Nomen eius dulce et suave es tdiligentibus eum. Hi enim soli eum percipiunt et cognoscunt sicut ab eo cogniti sunt, eoque fruuntur intra sensus exteriores [1], quia absque sensibus corporeis eum perceperunt. Nam quemadmodum omnis sensibilitas corporis externa est, ita et sensibilitas spiritus intus movetur, et dum illa mundum et quae in eo sunt percipit, haec tantum Deum percipit et pacate dulcedinem eius sugit.

Passio ad naturam *Dei* non accedit, quia non est tanquam unus ex compositis. Mors essentiae eius non haeret, quia vita non recipitur in eo tanquam in receptaculo. Non partibus, quemadmodum homo, constat. Non enim est in eo aliquid vitam dans, aliud vero vitam recipiens: totus vita est, quia totus vivens est. Non enim e duobus, tanquam corpore et anima, p. 16. componitur, quorum unum vitam det *et alterum vitam recipiat. Largitor est vitae natura sua, non sibi, sed aliis. Lumen est indeficiens, nec ex alio loco lumen eius alitur. Suavis est sine mutatione, dulcis sine amaritudine, gustus sine insipiditate, pulcher sine deformitate, voluptas sine satietate. Decor est qui non mutatur, pulchritudo quae non variat, lux quae non obscuratur, intellectus qui non errat, sapientia quae non fallit, scientia quae non transit, doctor qui non didicit, virtus quae non infirmatur, fortitudo quae non debilitatur, robur quod non deiicitur, possessor qui non spoliatur, dives qui pauper non redditur, altus qui non deprimitur, eximius qui invidiam non patitur, triumphator qui non recedit, rex qui non moritur, iudex qui non dissolvitur, dominus qui non subiicitur, dominator qui non contemnitur, potestas quae non mutatur, princeps qui non transit, Deus qui non immutatur, iustus qui inique non agit, rectus qui non decipit, verax qui non mentitur, amicus qui non variat, liberalis qui non deficit, dator quem non paenitet, fluxus qui non minuitur, natura quae non creatur, essentia quae non incepit, collectio quae non dissipatur, factor qui non fatigatur, creator qui non infirmatur, secretus qui non videtur, occultus qui non adspicitur, absconditus qui non cognoscitur, profundum quod non palpatur, altitudo quae non mensuratur, latitudo quae non traiicitur, longitudo quae non praevenitur.

[1] I. e. in interiori animo.

Haec igitur aliaque huiusmodi nomina sunt huius naturae, licet nomen naturaliter non habeat, nam qui nomen ei imponeret prior non exsistebat. Quapropter in Scriptura Deus vocatus est solummodo Ens, eo quod est. Et id fuit ei, quod non nomen est, sed tantum ostendit eum *esse cum ab alio p. 17. non factus fuerit. Semper enim est, et aeternus Deus est, et adorabilis, natura singularis atque unica, ex quo omnia incipiunt et ad quem cursus omnium terminatur. Adorabilis et laudabilis est essentialiter, exaltatus et glorificatus aeternaliter, sanctificatus et celebratus secreto, venerandus et benedictus in Sancto Sanctorum essentiae suae. Adorabilis est etiam quando non erant adoratores; laudabilis est etiam quando non erant laudatores; sanctus est etiam quando non erant Seraphim qui « Sanctus » clamarent; benedictus est etiam quando non erant Cherubim qui benedicerent; rex est etiam quando non erant Angeli qui mitterentur; bonus est etiam quando adhuc nemo erat qui bona reciperet; mitis est quando non apparuerant provocantes ad iram; clemens est quando non erant qui veniam peterent; misericors est quando nondum apparuerant indigentes; creator est quando nondum creatae erant creaturae; factor est quando nondum constituta erant opera; dominator est quando nondum divisae erant potestates; fortis est antequam suam virtutem operibus manifestaret; artifex est sapiens antequam conderentur creaturae; architectus peritus est antequam exstrueretur domus mundi; possessor est bonorum et divitiarum antequam viderentur bona et divitiae; ineffabilis est et, quantumvis de eo disseratur, invenitur quod prorsus non fuit declaratus.

Ipse igitur est primus et ipse est ultimus, et non est alius deus aut dominus praeter eum. Omnis persona, quae ex eo est, Deus est; et quae extra eum sunt, sunt creaturae. Ille est Ens, hae entia; ille Deus, hae opera; ille Dominus, hae subditae; ille administrator, hae *administratae; ille rex est, et super has p. 18. extenditur sceptrum imperii eius. Etenim essentia eius in creaturam non diffunditur, nec creatura naturaliter miscetur essentiae eius, nec natura eius aliqua ex parte adulteratur aut corrumpitur; quod si voluerit cum aliquo misceri, proprietatem naturae suae tunc etiam absque mutatione servabit. Nulla poenitentia in Deo est, quia nullus error in eo est. Timor confi-

nia essentiae eius non calcat, quia essentia eius adversarium non habet; a nemine conturbatur, quia nemo fortior est eo, quem timeat; nihil eum fugit, quia scientiam ab extra per disciplinam non accipit. Non cogitat *primum* et agit postea, quia mentem habet incomprehensibilem. Serenitas eius imperturbabilis est, quia ira ad naturam eius non accedit. Non est furor in essentia eius, quia nihil voluntati eius resistit. Omnes adversarii procul ab eo exsulant, et ipse solus naturae suae bonis fruitur. Tenebrae locum eius non ingrediuntur, quia lux scientiae eius nunquam occidit: « Inhabitat, ut scriptum est [1], lucem ad quam nemo accedere potest ». Etenim lux eius gloria eius est incorruptibilis. Non autem quod vestimentum lucis super naturam eius extenditur, idcirco remanet invisibilis; sed ipsa essentia eius invisibilis est, et ipse creditur lux, veritas et vita. Nihil eum operire potest, quia nullum vestimentum latius est essentia eius. Natura eius invisibilis est; et licet tenebris non operiatur, essentia eius abscondita est et occulta, etiam cum umbris non tegatur. Silentium tantum eum operit, nam secretum eius in silentio est.

*Deus* in spatio non commoratur, nec in loco habitat. Tenebris non circumdatur, nec intra limites continetur, nec mundus p. 19. eum capit, *nec intra creationem contrahitur, nec sinu creaturarum continetur, nec corpore naturali concluditur. Elementa subtilitatem eius non capiunt, nec mare torrentes eius continet. Non vagatur, nec spargitur per aerem. Terra vestigia eius non sustinet, nec alae venti cursum eius velocem. Radius solis eadem velocitate ac ille non currit, nec aer subtilitatem eius amplectitur. Stellae multitudinem eius non numerant, nec caeli cavitatem spithamae eius mensurant, nec mare cisternam pugilli eius implet, nec pulvis terrae volam manus eius operit. Quia natura eius est infinita, omnibus praesens est; et quia ab omnibus remotus est, omnia procul ab eo sunt. Prae omnibus absconditus est dum omnibus adest; et vacuus est ab omnibus dum omnia implet. In eo aguntur naturae et eum non percipiunt; in eo moventur creaturae et eum non attingunt. Ipse est sinus omnium et circulus omnium; ipse omne verbum superat. Quilibet intellectus investigationi eius impar est, nec

[1] I Tim., vi, 16.

sermo scit quomodo eum declaret. Etenim, quemadmodum Deus est supra omnes creaturas, ita est penitior omnibus verbis; et quemadmodum subtilior est omnibus operibus, ita et subtilior est omnibus mentibus. Scientia spiritalium eum non apprehendit, quia subtilior est etiam scientia eorum. Profunda scrutatio intellectus abyssum investigationis eius non palpat, quia profundior est profundis, et altior altis, et latior caelis, et longior *quibuscumque* corporibus. Ipse solus est altitudo quae non mensuratur, profundum quod non palpatur, latitudo quae non apprehenditur, et longitudo quae non praeoccupatur. Et quia hae immensae mensurae in eo continentur, de eo tantum Paulus scripsit [1]: « altitudo, et profundum, et longitudo, et latitudo ». Nullo enim modo mensurari potest, quia omnes mensurae, eo quod non mensuratur, mensurantur, et omnes funiculi mensoris, *eo quod non determinatur, determinantur, et omnes scientiae, eo quod eius scientia infinita est, definiuntur. p. 20.

Omnia vincit et omnia ab eo vincuntur, prout decet omnia a Deo superari. Ipse solus sapientissimus est, quia Deus solus est super omnia. Omnes creaturae rationales ab eo acceperunt etiam ut eum perciperent; nam nisi de se aliquid revelasset, creaturae rationales eum quasi non exsistentem haberent, quia Ens supremum prae omnibus creaturis, sive corporeis, sive incorporeis, absconditum est, et visibilia Invisibilem videre non possunt. Nihil eum latet, quando omnia adduxit ad exsistentiam, sicut et ipse ab omnibus absconditur, etiam postquam creata sunt. Deus non deficit ut per scientiam nostram apprehendatur, sicut et incomprehensibilitas eius scientiam omnis creaturae effugit; et dum omnibus naturaliter absconditus est, per gratiam se manifestat quibuscumque vult, iis scilicet qui intra corpus passionesque intellectum purum possident. Tali enim intellectui Deus primum dat virtutem revelationem suam sustinendi, et deinde se humiliat ut ab eo videatur. Nam quomodo Deus exsistat, qualis sit et ubi sit, nulla creatura videre potest. Quod si videbitur ab eis quos dicit mundos corde, illi revelationem eius accipere poterunt quia ipse se humiliabit et ipsi confortabuntur. Nulla enim creatura Creatorem videre potest nisi ab eo virtutem ad hoc accipiat. Neque Angeli, neque ceterae spi-

[1] Cfr. *Ephes.*, III, 18.

ritales virtutes. quarum scientia existimatur nostra subtilior, subtilitatem naturae eius intueri valent, quia, licet Angeli sint nobis subtiliores, ille, qui eos creavit, eis subtilior est. Et magis quam Seraphim altiores sunt Angelis, altior est Deus illis p. 21. quibus « sanctus » proclamatur, et magis *penitior est *Deus* scientia Cherubim, qui ei benedicunt, quam ipsi Cherubim penitiores sunt Seraphim. Scriptum est [1] eos ad eum clamasse tantum: « Benedicta gloria Domini e loco suo »; quisnam autem sit locus eius dicere nesciverunt. Item Seraphim ter « Sanctus » clamaverunt et semel dixerunt [2]: « Pleni sunt caeli et terra ex gloria eius »; quaenam autem et quanta sit gloria eius intellegere non potuerunt, sed dumtaxat revelarunt caelos et terram ex ea repleri. Quod si omnia plena sint ex gloria eius eamque caeli et terra continere non possint, quid dicendum erit de natura eius vel quis existimabit ubi sit? In caelis? Ecce pleni sunt ex gloria eius; in terra? etiam terra plena est ex ea. Et cum ex ea plena sint, eam continere non possunt. Hoc quidem significavit illud « ex gloria eius », non autem « gloria eius ». Paululum enim gloriae eius implevit ea, nec potuerunt totam recipere. Et si opera eius ex gloria eius plena sunt, patet naturam eius ab omnibus esse remotam. Rursus, etiam Angelos gloriam Deo in altissimis et pacem in terra proclamavisse cum in Bethlehem natus est, scriptum est [3]; sed ad rationem naturae eius nullo modo accesserunt. Cherubim igitur honori eius benedixerunt et clamaverunt, dicentes: « Benedictus honor Domini de loco eius ». Seraphim ter clamaverunt « Sanctus Dominus cuius ex gloria pleni sunt caeli et terra ». Angeli praedicaverunt « gloriam in altissimis Deo et in terra pacem ». Unusquisque eorum, iuxta ordinem suum, id ostendit quod sibi revelatum erat: alii honorem eius, alii sanctitatem eius, et alii gloriam eius. Cherubim benedixerunt, Seraphim sanctum dixerunt, Angeli glorificaverunt. Omnes pariter revelarunt ea quae ad naturam eius pertinent; de ipsa *natura* p. 22. tamen nihil dicere ausi sunt. *Cherubim quidem dixerunt: « Benedictus honor eius de loco suo », sed quisnam sit locus eius non ostenderunt. Seraphim dumtaxat annuntiaverunt eum esse sanctum; ubi vero et quomodo exsistat, non significarunt. Ita

[1] Ezech., iii, 12. — [2] Is., vi, 3. — [3] Cfr. Luc., ii, 14.

et Angeli gloriam in altissimis ei dederunt; sed in quibus altissimis exsistat non dixerunt. Quod si quae eius sunt a spiritalibus non apprehendantur, quis de eo loqui posset, vel ubi sit ostendere? Itaque natura eius ab omnibus naturis aeque remota est. Etenim, non partibus constitutus est, nec magnitudo eius sub mensuram cadit, ut secundum mensuram creaturis remotus vel proximus sit. Ultra mensuram et ultra pondus et citra regulam *mensoris* exsistit. Non enim regulatur, nec mensuratur, nec appenditur, nec capitur, nec deprehenditur. Quia initium eius invisibile est, finis eius apprehendi nequit; ubicumque mens eum apprehendere voluerit, eam effugiet. Prae Deo enim mens crassa est, et prae subtilitate eius est corpus et res materialis. Etenim didicimus solummodo credere quod est; sed quomodo, quantus, ubi sit: nos latet et etiam omnes spiritales ordines qui nobis superiores sunt. Quod enim comprehendi non possit magis eum manifestat. Nam creatura quo magis deprehenditur eo magis cognoscitur, et quo magis attingitur eo magis celebratur, siquidem per investigationem virtus eius solet revelari et operatio eius manifestari. Creator vero non ita se habet; sed laudatur quod non comprehendatur, et quo minus deprehenditur eo magis admiratione implet inquirentes se. Etenim, si eum comprehendere possemus, per scientiam nostram mensuraretur, et inveniretur aequalis creaturarum, et proximus et affinis omnibus quae facta sunt. Nunc vero, cum natura eius non videatur, nec ullo sensu percipiatur, nec intellectu investigetur, ex nominibus quibus appellatus est et ex creaturis quas condidit, intelleximus dumtaxat, quasi signo, eum esse. Quomodo vero *sit, quantus sit, a quo tempore sit, p. 23.
ubi sit et quousque sit, nec ulla creatura, nec mentes Seraphim, nec intellectus Cherubim, nec facultates Angelorum, nec cogitationes omnium rationalium assequi possunt.

Hoc est Ens sanctum, Deus noster, qui habet ex aeterno quidquid habet; simul atque « est », possidet etiam omne bonum quod ad naturam suam pertinet. Nomina, quibus natura eius manifestata est, haec sunt: Ens, Deus, Dominus, Aeternus, Increatus, Supra tempora, Factor, Creator, Sapiens, Ordinator omnium, Ornator omnium, Bonus, Misericors, Benefactor, Dives, Plenus, Fortis, Potens, Rex, Perfectus, Sabaoth, El-Šaddai, Dominus dominationum, Dominus virtutum, Adonai, Deus Abra-

ham et Isaac et Iacob, Ante omnia, Post omnia, aliaeque huiusmodi appellationes quibus unusquisque prophetarum de natura divina diverso modo docuit.

Nomina vero quibus personae aeternae, quae in hac natura sunt, cognitae sunt, ea sunt: Pater, et Filius, et Spiritus. Etenim cum Scriptura dicit Deum, Dominum, Factorem, Regem, Omnipotentem, aliaque huiusmodi nomina, naturam indicat; cum vero nominat Patrem et Filium et Spiritum, per haec *nomina* personas demonstrat. In natura ergo essentiae agnoscitur unitas et trinitas: unitas essentiae et trinitas personarum, non tamen quasi per numerum. Quapropter non licet eas dicere « unum », « duo », « tria », sed solummodo vel trinitatem vel tres personas. Non enim capitur initium primae, ut post eam in ordine numerorum succedat secunda, neque nativitas secundae deprehenditur ut addatur numerus tertiae. Sed Pater dicitur « Ens » p. 24. solummodo, et Filius « *filius Entis », et Spiritus « ex Ente »; et unusquisque eorum essentialiter exsistit, non vero quasi in ordine numerorum, unus post alium, quia, ut dixi, nec principium Entis apprehenditur, nec nativitas secundae, nec processio tertiae *personae*. « Ante stellam matutinam genui te », ait Pater ad Filium [1]; quandonam vero eum genuerit, non ostendit. Et de Spiritu Filius dixit [2]: « Spiritus veritatis qui a Patre procedit »; quandonam autem et quomodo, non manifestavit. Itaque principium primae non apprehenditur, neque nasci secundam, neque procedere tertiam. Neque numerus potest componi; qui enim numerat primum habet in cogitatione notionem et finem et mensuram illius quod numeratur, et deinde sub initio ponit numerum primum, ita et secundum, et tertium, et successive quotquot sunt ea quae accedunt ut numerentur. Nam nisi unus primum apprehendatur sive verbo, sive digito, sive cogitatione, non est locus quo secundus numerus accedat, et post hunc alii numeri in ordine, sicut dixi.

Itaque trinitatem nominamus et tres personas confitemur. Personas autem divinas per unum, duo, tria, in compositione numerorum, sicut solent corpora aut personas compositas numerari, non numeramus; quia non apprehendimus initium ullius harum, sive primae, sive secundae, sive tertiae, ut sub

[1] *Ps.* cix, 3. — [2] Ioh., xv, 26.

numerum cadant. Et cum unamquamque personam appellamus
Deum, nobis non licet tres Deos dicere. Et id quidem nobis
notum est Patrem Deum esse, item et Filium, et Spiritum Sanctum,
et non esse tres Deos, quia unaquaeque persona ex ipsa
essentia est, quae est etiam divinitas. Etenim, ratione essentiae,
Filius id est quod Pater est; item, in confessione naturae,
quod Filius agnoscitur, idipsum credendus est esse *etiam Spi- p. 25.
ritus Sanctus. Unus Deus sunt, quia sunt una natura; nam
nomen Dei ad naturam pertinet et natura trium personarum
essentiae una est. Nomina enim distinctionem, id est notitiam
personarum, nobis indicant, non autem discrimen naturarum.
Haec sententia est Arii qui, gradus admittens, naturas in trinitate
sibi finxit. Nostra autem non ita se habet; sed agnoscimus
unamquamque personam ex eadem essentia esse, non
tamen unamquamque sine principio esse: hoc enim in Patre
solo invenitur, ex quo Filius et Spiritus sunt. Uterque horum
Deus est, quia uterque ex eodem Ente est, quod est etiam Deus,
iuxta verbum quod Filius ad Patrem dixit [1]: « Tu solus verus
Deus es, et quem misisti Iesum Christum ».

Qui igitur tres Deos dicit, debet et tres naturas confiteri.
Quod si decet unum Deum confiteri, etiam aequum est credere
unam naturam esse. Et si, ut scriptum est [2], Pater per Filium
cognoscitur, et item Filius per Patrem ostenditur, quid unus
eorum credendus est nisi id quod et alter est, id est eadem
natura, iuxta exemplum animae et verbi et mentis, aut solis
et lucis et radii, aut ignis et splendoris et caloris? Etenim,
cum apud unumquodque horum id sit quod existimatur principium
esse, quae ex eo sunt non putantur secunda aut tertia
secundum tempus aut divisionem, sed a tempore quo exsistit
illud quod reputatur principium, sunt etiam cum eo et ex eo
quae ab eo exsistunt. Ex anima et cum ea sunt verbum et intellectus;
ex sole et cum eo sunt radius et lux eius; ex igne
et cum eo sunt splendor et calor eius. *Ita ex Patre et cum eo p. 26.
sunt Filius et Spiritus eius. Nam si Patrem apprehendes, Filium
invenies; et si Filium tenebis, Spiritum cognosces, eo quod
unusquisque eorum ex eadem natura est, et ipsa natura agnoscitur
Deus. Una est natura in tribus personis; et rursum, tres

[1] Iohan., xvii, 3. — [2] Cf. Matth., xi, 27.

personae in eadem natura, Pater Ens et Deus, Filius coessentialis et Deus, et Spiritus qui ex Ente est *et Deus*; non tres Dii, sed una essentia unaque divinitas. Pater et Filius et Spiritus tres sunt, qui ab invicem non distinguuntur ratione naturae, nec ceteris attributis, virtute, inquam, creatione operum, potestate. Sed tres personae, simul atque esse unus Deus, agnoscuntur esse etiam unus Dominus, unum Ens, unus Factor, unus Creator, una Virtus, unus Rex, unum Imperium, una Potestas, et una Providentia. Etenim si Deus a Deo differret simul etiam probaretur Ens ab Ente differre. Si rectum est iudicare duo Entia admittenda esse, aequum est etiam duos Deos dicere; si vero congruum est sentire unam esse essentiam, decet etiam credere unam esse divinitatem.

Ens est enim tantum illud quod ad omnia par est, quod, quemadmodum eius essentia sine causa est, ita non indiget causa ut ad omnia par sit. Etenim, licet nomina selecta fuerint ad personas denotandas, personae tamen, ratione essentiae, unum quid sunt; et quemadmodum aequales sunt secundum essentiam, ita etiam secundum divinitatem, virtutem, voluntatem, et cetera attributa. Nam essentia, cum una sit, necesse est ut in omnibus aequalitatem habeat: scilicet in eo quod suum,
p 27. vel ad se *vel ex se est, quia essentia non potest praedicari una nisi in omnibus secum aequalitatem habeat, praeter quam in nominibus quibus personae cognoscuntur, Patre, dico, et Filio, et Spiritu. Et Pater in hoc dumtaxat a Filio distinguitur quod generavit et non genitus est, item Filius a Patre quod genitus est, et non generavit; ita et Spiritus a Patre et Filio quod semper sit Spiritus sanctus, nunquam Pater aut Filius.

His ergo nominibus cognoscuntur personae, et haec notio nunquam tolli potest. Non enim a Patre auferenda est *notio propria,* ita ut non semper quasi Pater agnoscatur, neque a Filio neque a Spiritu *notio propria auferenda est*, ita ut non *semper* unusquisque eorum Filius aut Spiritus credatur. Etenim, si quis nominat Patrem, Filium esse ei ostendit; et si Filium confitetur, Patrem esse ei manifestat; ita et Spiritum *si nominat* alius, Patris nempe, esse Spiritum indicat. Quapropter in Libris Spiritus Dei appellatur Spiritus sanctus et Spiritus Domini. Patrem enim si vocaveris, Filium esse ei manifestasti; et Filium si confessus fueris, eum ex Patre genitum

ostendisti; item si Spiritum Sanctum esse in eadem essentia dixeris, eum esse ex eadem natura docuisti, quia in confessione fidei et invocatione baptismi cum eis non recenseretur nisi eis consubstantialis esset. Et cum per haec nomina personae denotantur, per alia, scilicet Ens, Deum, Dominum, natura tribus communis agnoscitur.

Prophetae vero, non distinguentes nec aperte notitiam personarum indicantes, in praedicatione sua fidem in unum Deum tradiderunt ad expellendam polytheismi traditionem. *Quapro- p. 28.
pter cum Moyses, primus omnium prophetarum, vellet a Deo ipso nomen eius discere, respondit ei Deus [1]: « Ego sum qui est », et quemadmodum per hoc « unus Deus » foras expulit turmas deorum, ita et per illud quod dixit: « Ego sum qui est », nomine divinitatis spoliavit omnes qui per errorem existimabantur dii, cum non essent; ii nempe qui dii reputabantur deliramento humanitatis, non vero quod ex natura divina erant. Et postquam per longa tempora, a Moyse usque ad revelationem Christi in carne, exsistentia unius Dei firmata fuit in conscientia Iudaeorum, et aliorum etiam populorum sive ob propinquitatem cum Iudaeis, sive per prodigia variis modis in eorum gratiam facta, qui est ex ipsa natura Unigenitus Dei Filius sese in carne manifestavit hominibus, et naturam, ex qua ipse est, in tribus personis esse ostendit, non solum metaphorice et mystice, sicut quidam ex prophetis locuti erant, sed manifeste et aperte. Etenim, adimpleta pro nobis eius oeconomia per passionem et mortem et resurrectionem suam, misit discipulos suos ad gentes quae primum edoctae erant in unum Deum credere, eosque iussit docere et baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, in una trinitate quae est etiam una essentia; quod manifestum est, nam sicut essentia semper exsistit, ita etiam trinitas semper exsistit: et quemadmodum Pater semper est Deus, quia paternitas cum essentia eius perdurat, ita et Verbum semper est Filius, quia nativitas eius cum filiatione eius est; et etiam Spiritus sanctus ab aeterno ex essentia Patris est, vi processionis, non autem generationis.

*Deus ab aeterno est etiam creator, quia haec natura non p. 29.
accipit quidquam novi quod antea non habuerit, quamvis sub

[1] *Ex.*, III, 14.

fine. quando ei placuit, creaturas fecerit. Ita autem non consideratur relate ad Filium, sed essentialiter est Pater, quia absque initio Filium genuit. Creaturae sunt proles voluntatis eius; Filius vero est fructus ex essentia eius; et licet vim operandi ante tempora habuerit, in tempore tamen operationem suam definivit. Sed est Pater aeternaliter, quia ab aeterno Filium genuit, ita ut agnoscatur ab aeterno esse non solum Ens, sed etiam Pater; agnoscitur vero creator ante initia et tempora, licet post initia et tempora ponantur opera, utpote extranea non solum a natura Factoris sed etiam ab eius aeternitate. Pater enim non agnitus est ut Ens quin sit ab aeterno etiam Pater, quia paternitas eius cum essentia eius perdurat. Creaturae non sunt ex essentia eius, licet voluntas, quae eas fecit, agnoscatur absque initio cum essentia exsistere. Etenim voluntas Dei non est iunior natura eius, nec recenter ad voluntatem eius accedit quidquam quod naturae eius notum non fuerit, nec cogitationem accipit quam antea non habuerit. Neque eo quod voluntas eius cum natura eius exsistit, iam creaturae, quas voluntas fecit, ex natura eius prodeunt. Etenim, ea quae a voluntate eius pendent, post tempora immensa, quae forsan ne ut tempora quidem habenda sunt, stabilita sunt; quae autem ex natura eius sunt, id est Filius et Spiritus, aeternaliter et absque initio cum eo ex eadem natura exsistunt; et cum unitate essentiae etiam trinitas personarum intellegenda est. Quapropter una divinitas confitenda est, quia una credenda est
p. 30. essentia, quae eadem *in Patre et Filio et Spiritu Sancto intellegitur, hoc excepto, quod Pater nullum principium habet, Filius autem et Spiritus ex eo sunt, non quidem ut partes, sicut Ariani inepte contendunt nos dicere, sed unusquisque horum est persona perfecta. Perfectus est Pater in sua essentia, quia neque tempore neque incremento fit Pater. Ita et Filius perfectus est in quantum agnoscitur Filius, quia semper est Filius, nec genuit nec gignet alterum. Item Spiritus Sanctus semper agnoscitur Spiritus, quia nunquam existimatus est Pater aut Filius esse. Rursum, unusquisque eorum perfectus est in quantum creditur Deus, nam unusquisque possidet quidquid essentia est aut habet. Filius enim ab aeterno cum Patre exsistit, nec dicitur aliud Ens cum eo; nec, eo quod ex essentia est, frater, aut pars, aut divisio, aut portio essentiae appellatur,

sicut Arii asseclae iniuriose existimant nos opinari; neque. quia Filius est, Genitore suo iunior cogitatur esse, sicut filii apud nos. Et Pater et Filius et Spiritus, quod ex eadem essentia sunt, neque fratres neque tria Entia sunt. Eos non esse fratres id confirmat quod sermone unius eorum nominantur Pater et Filius et Spiritus: « Ite, docete omnes gentes, et baptizate eas in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti [1] »; eos non esse *tria* entia docet, praeter haec verba, id etiam quod una essentia unaque divinitas confitendi sunt.

Quapropter, quemadmodum a prophetis et apostolis et evangelistis sanctis didicimus, ita omni tempore tenemus et servamus, nec *ullo modo corrumpimus signum fidei aut sigillum p. 31. baptismi, doctrinas humanas in fide nostra introducentes, sed confitemur Patrem semper esse Patrem, quia non est filius alterius, et Filium perpetuo esse Filium, quia non est pater alterius filii, et Spiritum sanctum perpetuo esse Spiritum et in trinitate et ex ea esse, quia est et ipse persona ex essentia. Et quia nominatur Spiritus, agnitus est ex natura Dei et Patris, ille qui etiam vocatus est Spiritus verbo Domini nostri [2]. Non enim quemadmodum Filius ex Patre est, ita et Spiritus ex Filio; sed ambo ex Patre sunt: unus Filius et alter Spiritus. Est Pater et Deus, Pater unius et principium alterius. Licet natura simplex sit, operationes distinguuntur; apud Filium agnoscitur generatio; apud Spiritum autem processio. Nec operationes falsae dicendae sunt propter suam difficultatem, quia ad Deum pertinent, cuius natura ineffabilis est, et mysterium operationum eius immensum est. Processio Spiritus ex Patre non putanda est falsa ex eo quod non sit filius; neque generatio Filii, ex eo quod hic non dicatur, ut Spiritus, a Patre procedere.

Pater est Deus et Pater: Pater Filii et Deus creaturarum. Item, Filius est Deus et Filius: Filius Patris et Deus operum. Simili modo Spiritus sanctus est Spiritus et Deus: Spiritus Dei et Deus eorum quae facta sunt. His quidquam addere non licet, nec ab eis quidquam subtrahere. Haec enim non sunt nostrae inventiones, nec doctrinae humanarum cogitationum, sed illius qui solus scit de se docere. Qui ex eo didicit, ille solus recte

[1] MATTH., XXVIII, 19. — [2] IOHAN., IV, 24,

scit eum confiteri, quicumque nempe confitetur unum in tribus p. 32 et tres in uno, nec dividit unitatem propter *trinitatem, nec confundit trinitatem per confessionem unitatis. Etenim τὸ « tres » τῷ « unus » non adversatur, neque τὸ « unus » τῷ « tres » repugnat, quia unus est Deus in unaquaque persona. Haec per exemplum, licet impossibile sit exemplum ex omni parte congruum esse, symbolice ostendam. Quemadmodum enim in una natura humana homines innumerabiles sunt, et una tamen est natura humana et unusquisque unus homo agnoscitur: ita et in tribus personis, unus Deus est, et unus Deus in tribus personis, sicut omnes homines sunt unus homo et unus homo in unoquoque horum ostenditur. Nec *tres personae* dicendae sunt tres Dii, quia non sunt tria Entia; sed Pater solummodo est « Ens », et Filius « Entis filius », et Spiritus « ex Ente ». Et una divinitas agnoscenda est, quia una est essentia; et post essentiam et divinitatem sequuntur etiam cetera, scilicet una operatio, una maiestas, una actio, una potentia, unum imperium, una potestas, una voluntas, una virtus, Deus nempe, Ens et Dominus omnipotens, qui in tribus personis agnoscitur, quem nos christiani confitemur, quem a beatis prophetis didicimus esse unum et a sanctis apostolis eum in tribus *personis* agnoscendum. Et idem est et creditur unus in tribus et tres in uno; nam in unitate essentiae confusio non est, neque divisio aut diversitas in manifestatione personarum eius. Cui sit gloria et honor ab omnibus creaturis intellectualibus et sensibilibus, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

# TRACTATUS SECUNDUS.

## DE INHUMANATIONE UNIGENITI.

Ut iis qui rogaverunt satisfaciamus, de incorporatione Unigeniti p. 33. Dei Verbi pauca etiam dicemus. Hic etiam, sicut in superiori nostro tractatu, verbis artificiosis et interpretationibus callidis parcemus. Doctrina enim divina simplex est; non indiget artificiosis verbis aut inventionibus cogitationum, nec auxilio extrinseco opus est ei; suis enim solet triumphare, non autem eis quae propter eam ab aliis inveniuntur. Etenim, confessio nostra, christiani, per fidem solet stabiliri; et, quia fides est, cum fide decet nos de ea tractare. Sapientia autem mundi verbis, quae existimantur docta, solet illustrari, et per scientiam disciplina comparatam et per linguam disertam peritamque revelari et stabiliri. De fide vero ille solus tractare novit qui curat de ea fideliter loqui, docens fidem per fidem, sicut, ut ita dicamus, qui videt lucem per lucem, et de Deo tractans sicut Deum decet. Nam qui verbis profitetur se tenere fidem, de ea autem tractat interpretationibus callidis et astutis, aliud confitetur se dicere, aliud vero verbis suis demonstrat.

Itaque nos de fide spei nostrae disseremus, sicut haec fides nobis dictat de ea tractare. Absoluto sermone de natura essentiae, quo probatum est unum esse in tribus et tres in uno, quemadmodum haec *natura divina nos docuit ut ipsam confi- p. 34. teamur, nunc aggrediemur secundum ordinem, etiam quaestionem de dispensatione in carne, quae ab una ex personis naturae palam adimpleta est. Deus enim Verbum, Filius naturalis et aeternus, ante tempora et saecula ineffabiliter a Deo et Patre genitus, per quem creatae sunt naturae omnes invisibiles et visibiles, caelum et terram et omnia quae in eis sunt, postremo hominem ex terra et anima ad imaginem et similitudinem suam formavit. Cui honorem et gloriam perditam restituere volens eumque exaltare unde lapsus erat, hac de causa incorporatus est et inhumanatus ut hominem denuo novam creaturam in se faceret. Impossibile enim erat nos ad locum unde excideramus adscendere, nisi Deus personaliter incorporaretur ex nobis et homo sicut nos sine mutatione, absque peccato, fieret. Nam Deus

naturaliter habet quod, cum se humiliat, non minoretur, et cum se exinanit, indigens non reddatur. Ei non accidit quod nobis: cum enim excidimus unde eramus, ibi non mansimus, et cum pauperes facti sumus, divitias nostras amisimus; ille vero, etiam cum pauper factus est, ut Deus ditissimus mansit in sua plenitudine, et cum se demisit, in sua altitudine perstitit. Ita enim se habet natura illa quae naturaliter felix est et immutabilis: cui, praeter quod increata est, etiam inest, quod, si vult fieri aliquid, non immutabitur. Nos, vi sententiae, ubi nunc sumus expulsi sumus: ille autem non ita, sed voluntarie, benignitate sua tractus, ad nostra venit. Item nos, iuxta decreta,
p. 35. foras eiecti sumus, ne *locus sanctus vestigiis peccato pollutis dedecoraretur; ille autem ad locum, quem pollueramus, venit, et *illum* mundavit et sanctificavit, eius incolis benedixit, et nos secunda nativitate regeneravit.

Quapropter Deus Verbum, qui est una ex personis trinitatis et in confessione fidei a nobis *medius* agnoscitur, mediator fieri voluit etiam inter divinitatem suam et humanitatem nostram, ut, per eius mediationem, solveretur inimicitia, regnaret reconciliatio, destrueretur odium, stabiliretur caritas, tolleretur sepes illa in medio posita, et via nova calcaretur qua homines ad Patrem eius ducerentur; ut ii, qui post spiritus malos abierant, ab erratione ad ovile per eum redirent, et qui vitam rebellem egerant legis imperio se subiicere discerent. Has enim omnes reformationes nemo alius efficere poterat nisi ille solus cuius dominium homines negant, bonitatem spernunt, et longanimitatem erga nos contemnunt; qui, cum vidisset nos formationem nostram decoram, et imaginem nostram pulchram, et creationem nostram immaculatam penitus corrupisse, advolavit nos iuxta initium figmenti humani denuo creaturus. Et primum incarnatus est in utero Virginis, et etiam inhumanatus est, ut omnes homines denuo in se crearet. Modo mirabili et absque consortio viri factus est homo novus ex natura antiqua, puer aeternus e loco solito. Nam antea genitus erat naturaliter, hic vero supernaturaliter, modo mirabili. Et forsan facilius est illam supernam nativitatem enarrare, licet stupenda sit et inef-
p. 36. fabilis, *quam hanc enarrare quae hic apud nos mystice facta est. Etenim, nativitas eius e Patre putatur ordini naturae congruens. Deus enim Deum genuit; hic vero, mulier Deum abs-

que mutatione peperit hominem. Et duplex est prodigium: quod Virgo pepererit, et quod Deum pepererit. Et forsan non nimis mirandum, licet stupendum sit, quia, si qui natus est Deus est, decebat eum e Virgine nasci, ut e modo nativitatis agnosceretur quis sit qui natus est. Et quia inferior nativitas non est, ut superior, naturalis: nam per hanc, ut dixi, Deus ex Deo natus est, lumen ex lumine, illimitatus ex infinito, vita ex vita, incorporeus ex eo qui incompositus est; per illam vero Deus natus est ex muliere, Verbum factum est caro ex carne, unigenitus factus est primogenitus ex Maria, consubstantialis Patri factus est consubstantialis humanitati secundum carnem, incorporeus et infinitus factus est corpus compositum et persona finita: postquam comparavimus proprietates cum generationibus et supernaturalia cum naturalibus, diximus difficilius accipienda quae mystice infra facta sunt, quam ea quae supernaturaliter evenerunt. Re quidem vera, terribile et mirabile est verbum quod confitemur: « Verbum ex Virgine natum est caro »; admirationemque movet etiamsi audiatur Deum sine mutatione ex muliere factum esse hominem. Sed, etsi terribile est, quia est prodigium, ita tamen credendum est, cum eius qui fecit potentiam in mente revolvimus; cui, cum sit Deus, omnia possibilia sunt, cum sit bonus, sine invidia alios honorat et exaltat, cum sit potens, honorat quomodo vult, et quavis ratione et quovis medio, ut ei placet.

* Infinitus ergo conclusus est in Virgine ut homo, manens p. 37.
infinitus ut Deus; Verbum Deus factum est homo quin a divinitate sua mutaretur; Consubstantialis *Patri* voluit ex humanitate consubstantialis hominibus appellari, non amissa sua consubstantialitate; Filius naturalis factus est filius hominis propter bonitatem suam, nullo prorsus incremento ex eo quod factus est accepto; Absconditus revelatus est et in suo secreto mansit; Spiritalis incarnatus est et in sua spiritalitate perstitit; Plenus se exinanivit et permansit in divitiis suis; Altissimus se humiliavit et suam altitudinem sine mutatione retinuit; Forma Dei formam servi sibi sumpsit, servata in eo sine conversione notitia utriusque formae. In duabus formis non numeratur [1]; unicus est quoad suam spiritalitatem et unicus quoad

[1] Locutio illa *Christum numerari* apud Philoxenum ceterosque Monophysitas idem valet ac Christum haberi in duas naturas aut duas personas.

suam incorporationem; et quoad utramque servatum est ei quod unus sit et agnoscatur. Etenim corporalitas quam habuit ex Virgine non ostendit eum duos esse, sed naturam humanam in eo per incorporationem unam factam esse. Et quemadmodum in quantum Deus est ex essentia unus creditur, ita etiam, secundum id quod factus est homo, ex humanitate unus idemque est.

Essentia igitur eum ostendit Deum, Virgo vero hominem sicut nos. Nam Pater non imminutus est cum eum genuit, nec Virgo cum incarnatus est ex ea. Illum incorporatum ex Virgine credimus; quo autem modo: nos non intellegere fatemur. Utrumque enim est prodigium: quod habitavit in Virgine, et quod ex Virgine incorporatus est. Licet prior fuerit inhabitatio, seu, quemadmodum scriptum est, obumbravit Virgini virtus Altissimi, non possumus tamen investigatione assequi quomodo
p. 38. ille, cum agnosceretur esse *Virtus Altissimi, se demiserit ut in loco infirmo, id est in ventre et utero, habitaret. Sed hoc fecit, ut opinor, quo clarius revelaret se esse Virtutem Altissimi. Nam in loco infirmo, unde nos infirmi *nasci* solemus, factus est homo infirmus, manens tamen absque mutatione Deus fortis. Unum ergo debet alterum confirmare: istud « habitavit » illud « factum est ». Et nemo fidelis, ut opinor, dubitat eum qui ut infinitus omnia implet, in Virgine mansisse et in utero habitavisse. Quod in omni loco sit, habet ex Patre; quod autem conclusus fuerit in utero, ex matre ei advenit. Quomodo vero ubique et in Virgine sit, tenens altitudinem, et profundum, et longitudinem et latitudinem, dum in loco angusto concluditur, et quod non agnoscendus sit esse in Virgine sicut est in omni loco, nullus sermo explanare potest. Accedat ergo post primum etiam alterum: scilicet, quemadmodum habitavit in utero et non est conclusus, ita etiam factus est homo et non est immutatus; non quidem in apparentia, sed realiter *factus est* corpus humanum cognatum nobis in omnibus absque peccato, et non corpus sine anima, nec anima sine mente; sed vere incarnatus est et anima rationali informatus, et mente praeditus; et factus est verus homo, qui est Deus naturalis, et in se denuo naturam humanam creavit, quam, cum olim creata est, manifestum est conditam fuisse extra eum: « Faciamus ho-

minem ad imaginem nostram et similitudinem nostram [1] ». Et rursus dictum est [2]: « Tulit Deus limum e terra, et formavit hominem, et inspiravit in eum spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem ». Quod patet extra personam Dei factum esse. Nunc vero non ita; sed in Deo ipso natura humana denuo creata est. Scriptum est enim Filium ad Patrem suum dixisse [3]: « Corpus *aptasti mihi », id est, Patrem per p. 39.
Spiritum Filio suo corpus aptavit, non vero alii homini qui extra Filium eius agnoscatur. Etenim de Verbo scriptum est « factum est caro », id est homo perfectus. Et si verum est illud « factum est », et est omnimodo verum, iam una est persona unaque natura, etiam postquam inhumanatus est; nec incorporeus in corpore habitavit, quemadmodum alii dicunt, nec Deus in homine, nec absconditus in revelato, sicut scriptum est Deum in omnibus iustis habitavisse; sed dum illic per electionem voluntarie habitavit in aliis hominibus, hic vero personaliter factus est homo et filius hominis appellatus est, et incarnatus est dum esset Spiritus. Scriptum est [4] enim Deum esse spiritum. Et dum in sanctis habitavit voluntarie, in Virgine mansit personaliter et inhumanatus est. Inhumanatus est autem, non per mutationem, nec per conversionem eius quod erat in id quod factus est, sed participavit, ut docuit Paulus [5], sanguini et carni nostrae; « Verbum caro factum est et habitavit in nobis [6] », id est, ex ipsa Virgine.

Quia vero omnis caro in utero formata ex eo fit et in eo crescit, ita et Verbum, cum vellet mirabiliter incarnari, non ex aliunde sumpsit sibi carnem, sed ex utero in quo conceptum est. Per hoc enim quod dicitur « participavit » unitum est non carni alterius, sed suae; et, ut verbis, quae a multis interpretibus linguae syriacae peritis adhibita sunt, utar, etiam carni mixtum est et coniunctum, non quidem mixtione communi quae solet inducere confusionem, nec coniunctione quae corruptionem facit, sed mixtum est modo mirabili et novo, ut *Deum decet. Et si opus est exemplo, quod prorsus necessa- p. 40.
rium est, nam quae difficilia sunt intellectu solent exemplo aliquo illustrari, in quantum possum ostendam; non quod exemplum ex omni parte convenire possit, alioquin inveniretur esse

[1] *Gen.*, I, 26. — [2] *Gen.*, II, 7. — [3] *Hebr.*, X, 5. — [4] IOHAN., IV. 24. — [5] *Hebr.*, II, 14. — [6] IOHAN., I, 14.

non exemplum, sed res ipsa. Modum ergo quo Verbum carni suae iunctum est, id est, unitum, quin confusio facta sit aut corruptio acciderit, necesse est simili aliquo demonstrare: sicut lux oculo, sicut verbum voci, sicut cogitationes animae, sicut doctrina menti, sicut ignis auro, sicut radii *solis* aeri, sicut elementa sibi invicem, sicut virtutes radicibus, sicut vires efficaces frugibus, sicut odores fructibus [1], sicut anima membris. Haec autem omnia aliaque, quae simili modo cognoscuntur, alia aliis miscentur, ut res ostendit, et tamen corpora non mutantur in subtilitatem virtutum aut odorum aut virium efficacium, nec hae virtutes corrumpuntur eo quod corporibus miscentur.

Quapropter, talia accurate intellegentes et unumquodque ex his exemplis perpendentes, nam res huiusmodi scientia explorantur, diligenter discemus, quamvis per naturalia, in iis quae supernaturaliter facta sunt divinitatem humanitati commixtam et coniunctam esse, ut Syri dicunt, aut apparuisse, ut Graecis mos est loqui. Nomina enim, quantumcumque infirma sint, naturam rerum non laedunt, si quis prudenter ea usurpare aut intellegere noverit; nam dixi exemplum quod ex omni parte con-
p. 41. veniret, iam non fore exemplum, sed *rem ipsam veram. Loco igitur quo incipiunt fieri personae quae non erant, corporaliter habitavit et facta est persona illa quae erat, ut huiusmodi initio nobis calcaret viam novam ad vitam ducentem, ut quidem non secundum ordinem primae nostrae creationis nasceremur, sed prout constituit nobis qui venit ad salutem nostram. Etenim, loco vulvae primae, aliam baptismi nobis constituit, ut per eam et ex ea homines novi denuo fiamus; in qua Spiritum sanctum posuit, ut quicumque baptizatur, eum accipiens, filius Dei fiat. Et quemadmodum Verbum, cum homo in utero factum est, corpus assumpsit et sic inhumanatum est, ita etiam quicumque ex hac secunda vulva nascitur, Spiritum accipiendo, Dei fit filius. Et mirabilis fit commutatio per utramque vulvam, naturalem scilicet et supernaturalem. Etenim in vulva naturali Spiritalis carnem sumpsit et inhumanatus est; in supernaturali vero homo corporalis, Spiritum accipiendo, fit spiritalis. Item caro ex Virgine Spiritalem revelavit corporalem, et Spiritus in baptismo corporalem ostendit spiritalem.

[1] Sic ms.; expectes « floribus ».

## Sententia Prima: Adversus Phantasiastas.

Si caro Verbi non est ex Virgine, sicut Phantasiastis placuit dicere, per naturae suae mutationem apparuit qui est invisibilis; nam natura Verbi, utpote ex Patre, spiritus est, et invisibilis, et intactilis; cum autem incorporatum fuerit in Virgine et natum, visibile factum est in mundo et, ut compositum, palpatum est et apprehensum, ambulavitque de una regione ad proximam et de loco ad alium. Cum autem ab invicem diversa sunt hoc « invisibile » et illud « apparuit », hoc « incompositum » et illud *« incorporatum », hoc « infinitum » et illud p. 42. « conclusum », hoc « spiritus est » et illud « apparuit in carne », omnibus patet haec ad unam naturam naturaliter pertinere non posse. Itaque si mens et tactus et visus ad naturam divinam non pertinent, et tamen inveniuntur in eo qui se revelavit, aut per mutationem haec habuit, aut ea ex Virgine assumpsit, aut phantastice apparuit. Quod si turpe sit utrumvis dicere: sive Deum mutatum esse, sive in apparentia visum esse, hoc aliud affirmandum est, scilicet illum qui est invisibilis secundum naturam, apparuisse in corpore visibili, id est, in nostro quod ex Virgine habuit. Etenim, noluit nunc creaturas ex nihilo, sicut olim, condere, sed placuit ei ex eis causam renovationis earum sumere, nam non venit eas ut perderet sed ut renovaret.

Deus enim paenitentia non motus est, nec primam suam creationem culpavit aut reiecit; paenitentia enim in iis quae Dei sunt locum non habet. Quapropter incorporatus est et inhumanatus ex creatura sua, id est, ex natura humana, ut illa quae in alium ordinem perverteramus, denuo in se crearet. Quod si Eutychiani nobiscum confitentur quidquid factum, et praesertim naturam humanam, Dei opus esse, ne dicant tamen, quod a solis Manichaeis dici congruum est, corpus Dei non esse ex nobis, ne exinde omnia quae hi tenent, et ipsi sentire putentur, sive de ceteris creaturis sive de natura humana. Igitur aut confiteantur nobiscum naturam nostram in sua creatione bonam esse, et hac de causa Factorem eius inhumanatum fuisse ex ea; aut, si existimant eum non incorporatum ex nobis, aperte dicant naturam humanam ex malo principio esse, sic-

p. 43. que non solum Phantasiastas sed *et Manichaeos se ostendant. Horum enim utraque sententia est: mundum esse ex malo, et Salvatorem nostrum in phantasmate apparuisse. Utrumque vero nos reiicimus et cum sancta Scriptura clamamus [1]: « Vidit Deus cuncta quae fecerat, et ecce erant valde bona ». Et de corporalitate Domini et Dei nostri, quemadmodum a Paulo didicimus [2], confitemur: « Non ex Angelis apprehendit, sed ex semine Abrahae ». Quod si scriptum est Deum huic, semini dico Abrahae, participasse, et in omnibus assimilatum fuisse eis quos etiam fratres suos vocavit, cur haeretici contradicunt, et propter opiniones stultas a doctrinis Ecclesiae declinant? Iterum in alio loco Apostolus locutus est ut clare ostenderet unde Christus incarnatus sit [3]: « Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus ». De Israelitis loquitur, nam de eis in hoc loco agitur. Quod si Christus, qui antea agnoscitur ex Patre esse, ex Iudaeis est secundum carnem, quomodo dicunt isti eum non esse ex nobis secundum carnem, sed aliunde? Et cur non ex nobis, sed ex alio loco? Et dum quod apertum est negant, quod scriptum non est non possunt ostendere.

## Sententia Secunda: Adversus Dyophysitas.

Quando Verbum naturae nostrae se univit, una cum carne sumpsit nomina ei convenientia, ita ut quocumque nomine nominetur, sive Verbo, sive carne, sive Deo, sive Christo, idem agnoscatur. Quia inhumanatum est, potuit etiam ungi et exinde
p. 44. nuncupari Christus, nomine *de re sumpto. Nam nisi prius incorporatum esset, ungi non potuisset. Unctum est autem ut regnum suum revelaret et nos in eius unctione honoraremur. Ita etiam eo quod vocatum est Salvator, licet Salvator esset antequam incorporaretur, revelavit tamen salutem novam, eam scilicet quam nobis fecit. Etenim vocatum est « Iesus » voce angeli, et « Christus » multoties a prophetis et apostolis et evangelistis, itemque ex actione quando unctum est: « Iesus a Nazareth quem unxit Deus Spiritu sancto et virtute [4] ». Cum autem unctum est nos honoravit quia, ut homo, id nempe quod

[1] *Gen.*, I, 31. — [2] *Hebr.*, II, 16. — [3] *Rom.*, IX, 5. — [4] *Act.*, X, 38.

nos sumus, unctum est. Nam si unctum esset ut Deus, quod impossibile quidem erat, nulla exinde advenisset utilitas. In quantum enim agnoscitur Deus, quid ei deesse potest quod unctione compleretur? Verumtamen etiam ut Deus incarnatus unctum est, quia factum non est duo per incorporationem, nec in una natura agnitum est Verbum et in altera caro, nec illae res quae ad naturas *diversas* existimantur pertinere, miracula nempe et passiones, duobus adscribendae sunt; sed quemadmodum incorporatio ad Verbum pertinet, ita etiam passiones, et necessitates, et omnia humana. Unum est ergo Verbum et ante carnem et post incarnationem; nec, quia incarnatum est, numeratur in naturis. Quapropter creditur etiam unus ex trinitate, et ter « Sanctus » proclamatur cum Patre et Spiritu, et semper agnoscitur unicus, id est, unus. Etenim si esset duo propter incorporationem, ut hi sentiunt, iam non unicum sed duplex nuncupandum esset; et si nomen suum amiserit, timendum est ne etiam cum nomine persona pereat: quod, cum blasphemia sit, revertatur in caput eorum qui ita opinati sunt. Nos *igi- p. 45.
tur unum confitemur Filium Dei et ante et post incorporationem; nec naturam alteram nec numerum propter unitatem eius introducimus. Nam incorporatio eum non demonstrat duplicem nec numerabilem, sed tantum redemptorem, adiutorem, potentem, et immutabilem, qui redemit ut fortis et adiuvit ut immutabilis. Et eo quod in infirmitate redemptionem suam ostendit, agnitus est praesertim potens; quia vero per inhumanationem suam nos fecit Dei filios, immutabilitatem suam actis revelavit.

Profundum quidem est mysterium inhumanationis, neque scientia humana neque, ut opinor, fide explorari potest. Fides enim non accepit virtutem comprehendi, sed tantum credendi. Et si haec, quae existimanda esset cognovisse, non cognoscit, quomodo illa quae ne cognoscere quidem potest, comprehendere valeret? Fides enim huic mysterio propinquior est quam scientia; et si illa, quae est propinquior, remota est, quomodo non erit remota haec quae nullo modo appropinquavit? « Tu credis in Filium Dei? » scriptum est[1] Verbum, quod caro videbatur, ad caecum dixisse; et incitavit eum ad credendum, non autem ad sciendum; qua enim ratione scire edocebat eum, non vero

[1] IOHAN., IX, 35, 37, 38.

credere? Ecce enim cum ostenderet carnem sermone eum docuit credere: « Vidisti Filium Dei, et qui loquitur tecum ipse est »; et cum hominem, ita enim videbatur, ostenderet, eum incitavit ut in Filium Dei crederet. Et idcirco, postquam edocuit *caecum*, is statim ac audivit dixit: « Credo, Domine. Et procidens adoravit eum ». Veritas enim sese scientiae non revelat ne ista in Veritatem se exercere audeat sicut in alia de
p. 46. quibus disputare solet, eam tamen disponit ut fidem *tantum de ipsa discat, et credat, et omnibus modis fidem servet.

Hac ergo fide nos gloriamur, et per ipsam thesaurum, qui nobis commissus est, custodire curamus. Scriptum est hunc thesaurum absconditum fuisse in agro [1]; quem qui invenisse dicitur, rursus operuit et abscondit; et laetitia eius de eo, non vero investigatio circa eum, magna fuit. Quis autem est hic thesaurus? Est, ut opinor, Verbum Dei in carne revelatum. Quicumque eum invenit, silentium circa secretum eius praesertim servat et credit eum semper absconditum, quia patet fidem circa ea quae declarantur minui, crescere vero et augeri cum intellegit id quod credit semper incomprehensibile permanere. Itaque si Filius Dei a propheta « Admirabilis » appellatus est: « Vocabitur nomen eius Admirabilis » [2], quare non semper talis credendus esset, sive quoad naturam suam, sive quoad varias suas operationes, sive quoad suam pro nobis inhumanationem? Credamus ergo, sicut scriptum est, Verbum factum esse carnem, intellegentes simul Verbum in carnem non conversum esse, nec carnem in naturam Verbi. Verbum non esse mutatum, testis est gloria eius de qua dictum est [3]: « Vidimus gloriam eius », etiam postquam factum est caro, « gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis ».

Verbum sibi vestimentum non textuit illudque induit; nec templum sibi aedificavit et in eo habitavit; nec domum sibi exstruxit et in ea commoratum est; nec clypeum sibi fabricavit et posuit super faciem mysterii sui; nec in corpore alterius hominis, qui erat sicut unus ex iustis, mansit; nec in membris carnis habitavit sicut cives in sua civitate; nec purpurea ei parata sunt in utero, sed caro, quia id non fecit ut
p. 47. regnaret: *rex enim erat etiam antequam incarnaretur, cum

[1] Cf. MATTH., XIII, 44. — [2] IS., IX, 6. — [3] IOHAN., I, 14.

Patre suo regnabat super omnia; et antequam thronum David haereditate obtineret, erat Filius consubstantialis; et antequam vocaretur semen Abrahae, non stola indutus est summus pontifex, nec ut tunica corpori fuit caro spiritalitati eius; neque in alium hominem, qui extraneus sibi fuerit, ingressus est Verbum et in eo habitavit; neque forma in forma habitavit, forma Dei scilicet in forma hominis: non sunt enim duae formae, quia non sunt duo prosopa. Una enim est persona Christi, et eius natura, et eius forma, et eius prosopon, quia unus est Filius quoad utramque nativitatem. Treme ergo et time coram hoc mysterio, quicumque sis qui investigare velis, et mirare illud vehementer. Dic cum Evangelista, factum esse: « Verbum caro factum est »; sed tace de modo quo factum sit. Confitere cum Paulo [1] unde factum sit: « Misit Deus Filium suum, factum ex muliere »; clama cum eo esse unum etiam postquam factum est [2]: « Unus Dominus Iesus Christus per quem omnia ». Ecce tria ad unum pertinent: incorporatio, unio et unitas. Accipe ergo incorporationem et unde incorporatum sit ex illis verbis: « Misit Deus Filium suum, factum ex muliere » [3], et: « Non ex Angelis apprehendit, sed ex semine Abrahae » [4], et: « Ex Iuda ortus est Dominus noster Iesus » [5]. Item, unionem intellege ex istis: « Verbum caro factum est » [6], et: « Quia pueri communicaverunt sanguini et carni, et ipse similiter participavit eisdem » [7]. Agnosce et unitatem eumque mansisse unum etiam postquam factus est per illud: « Unus Dominus Iesus Christus per quem omnia » [8], et per illud: « Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula » [9], et per illud: « Nobis unus *Deus, Pater, ex quo omnia; et unus Dominus Iesus Christus p. 48.
per quem omnia » [10].

Ecce evanescit contentio, si vis; et aufertur de medio omnis investigatio circa fidem. Si crescere in scientia cupis, exerce te in aliis, non autem in investigatione de fide. Etenim, qui talem investigationem prosequitur, non scientiam, ut opinor, sed ignorantiam et stultitiam invenit. Veritas enim quam agnovimus immutabilis permanet: nempe, Verbum Dei esse, ille qui factus est homo sine mutatione. Quod si, cum factum est, non

[1] *Gal.*, IV, 4. — [2] I *Cor.*, VIII, 9. — [3] *Gal.*, IV., 4. — [4] *Hebr.*, II, 16. — [5] *Hebr.*, VII, 14. — [6] IOHAN., I, 14. — [7] *Hebr.*, II, 14. — [8] I *Cor.*, VIII., 6. — [9] *Hebr.*, XIII, 8. — [10] I *Cor.*, VIII, 6.

est mutatum, non decet nos ipsum in confessione nostra mutare. Unus est ergo Christus et apud essentiam et apud nos; neque illic neque hic numerabilis, quia incorporatus est non ut numerabilis fieret, sed ut nos, qui multi eramus, colligeret et nos in se ostenderet unum corpus Ecclesiae, quemadmodum Evangelista eius dixit [1]: « Iesus moriturus erat, non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum ». Quod si multos unum in se fecit, qua ratione dicunt eum in duos divisum esse, et factum esse unum et alterum? Idem Christus ergo est spiritalis et corporalis, Verbum et caro, ex Ente et ex creaturis, absconditus et revelatus, invisibilis et visibilis, incorporeus et corporeus, infinitus et finitus, ex caelo et ex terra, ex divinitate et ex humanitate, Deus et homo, ante saecula et hodie, absque initio et cum initio. Unus est in unoquoque horum, nec duplicitatem admittit nec numerum. Non enim praetextu investigationis de corporalitate debes carnem a Verbo separare, nec eam facere alterius; nam, cupiens vi-
p. 49. tare ne reputeris *Manichaeus, novus Iudaeus fieres, et, praetextu cultus Dei specieque religionis, cultum vanum introduceres; et, ponendo extra passiones naturam incorpoream, eas mero homini tribueres ita ut spes salutis nostrae iam non in Deo esset, sed in homine quodam nobis simili. Etenim qui mortuus est, ipse morte sua nos redemit, et eius populus vocati sumus: « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum » [2]. Si autem homo est qui mortuus est, nos, cum mors ei tribuenda putetur, iam hominis, non Dei, populus sumus; et in homine mortali, non in Domino, fiducia nostra reponitur; et inde sub maledicto sumus, iuxta sententiam quae per prophetam a Spiritu sancto lata fuit. Dixit enim per Ieremiam [3]: « Maledictus homo qui confidet in homine ».

Solent etiam haeretici dicere, existimantes se hoc modo decepturos simplices, « humanitatem et corporalitatem Dei »; et rursum dicunt eum qui inhumanatus est esse duas naturas, sicque opinioni suae priori contradicunt. Etenim, si Christus duae naturae esset, ut opinantur, tunc non inhumanatus esset, nec corporalitas ad Spiritalem pertineret, nec humanitas ad Deum. Hoc enim impossibile esset, si esset duae naturae; sed

[1] IOHAN., XI, 51, 52. — [2] MATTH., I, 21. — [3] IER., XVII, 5.

tunc corpus ad humanam naturam, et esse incompositum ad alteram naturam pertinere inveniretur, quemadmodum dictum est [1]: « Spiritus est Deus »; et humanitas et corporalitas dicerentur de eo qui naturaliter homo est. Ut opinor, vocem illam « corporalitas » et « humanitas », quae Verbo non convenit, iure dici posse de Spiritali incarnato et de Deo inhumanato manifestum est, quia cum neutram harum naturaliter habeat, et se exinanivit et incarnatus est et inhumanatus est, *utraque ei p. 50. ex rebus convenit: ex incarnatione corporalitas, et ex inhumanatione humanitas. Et quia, cum factus est homo, non mutatus est ab eo quod est Deus, consequenter credendum est idem esse Deus et homo, Verbum et caro. Etenim si non idem esset Deus et homo sine mutatione, neque homo Deus absque conversione, sed alius hic et alius ille, quod quidem locutio illa « duae naturae », quam hi profitentur, nos cogeret sentire, ubi esset unio quam ipsi nobiscum confitentur? Ubi corporalitas et humanitas? Nam iuxta eorum sententiam, Verbum non est incarnatum et inhumanatum ut haec merito putentur ad ipsum pertinere. Clare ergo, ut opinor, demonstratum est, nec potest hac de re lis moveri, neutram harum convenire ei qui naturaliter corpus est seu homo, nec rursum Deo, nisi prius inhumanatus agnoscatur.

Intellegendum autem est omnia bona quae accepimus, nobis per inhumanationem Dei ex nobis concessa esse. Si ipse non factus est homo, nec nos per ipsum et in ipso facti sumus filii Dei, nec redemptionem nec libertatem adepti sumus, nec immortales ex mortalibus facti sumus, nec maledictum ablatum est, nec sententia soluta, nec ad haereditatem caelestium vocati sumus, nec in ullo glorificati, et forsan etiam ii qui in Christo dormierunt perierunt, et vana est praedicatio Apostolorum et fides nostra quam ab eis accepimus. Constat enim nihil horum evenisse si repudietur inhumanatio et scindatur unio. Quis ergo sine tremore audiret Unigenitum numerandum esse duo, et dimidium eius existimari Deum et dimidium hominem, dimidium Creatorem et dimidium creaturam, et unam partem esse verum Deum, et alteram Deum metaphorice? Si autem unitas *per p. 51. numerum destruetur, ita quidem sentiendum erit. Nam quemad-

[1] Iohan., iv, 24.

modum unitas ex uno agnoscitur, ita etiam dualitas ex duobus constituitur. Et si Christus numeratur duo ubi inhumanatus est, illud verbum « inhumanatus est » repudiatur, et illud « unus est » solvitur, et illud « creditur unus ex trinitate » falsum evadit, quia, sicut diximus, unus ex unitate agnoscitur, duo autem ex dualitate. Qui vult recte credere debet confiteri Christum esse unum, sicut Patrem, et Spiritum sanctum, nec existimare quod Christus propter corporalitatem numerandus sit duo. Etenim, si hoc ei accidisset, iam nos non inveniremur in ipso, sed ipse propter nos unitatem suam perdidisset. Corpus enim ad aliam personam non pertinet ut numeretur solum et seorsim, sed ipsius Dei est qui naturaliter incorporeus agnoscitur. Si ita non credatur, iam hoc non esset inhumanatio, sed mera adhaesio secundum quam Deus omnibus adhaerere videtur. Etenim, natura eius a nullo remota est aut longe stat, sed, ut infinitus, praesens est omnibus licet omnia ab eo remota sint; et dum hoc modo omnibus praesens est et in omnibus est, haec tamen adhaesio non dicitur incorporatio nec unio personalis. Neque hoc sensu dicitur sumpsisse aliquam naturam, vel aliquam creaturam factam esse corpus aut corporalitatem aut carnem eius, sed unumquodque horum permanet in eo in quo agnoscitur, et Deus etiam permanet, sicuti est, in eo quod naturaliter habet. Neque Deum credi id quod est, vel omnem creaturam id quod facta est, neque Deum omnibus esse praesentem licet omnia ab eo remota sint, existimantur res prodigiosae aut mysteria.

p. 52. Itaque neque homo neque caro prius facta est et agnita *secundum suum esse et numerum, ut simul cum Deo numerari possit; sed, sicut scriptum est, Verbum factum est caro sine mutatione, et mansit naturaliter id quod erat, et agnoscitur esse eadem persona et natura, olim et nunc: olim quidem incorporeum, incompositum, invisibile et intactile; nunc vero corporeum, carnale, visibile et tactile, salva apud unumquodque horum sua immutabilitate. Quod si existimamus ipsum carni adhaesisse sicut aliquid alicui, vel sicut margaritam auro, vel sicut aliquam formam alteri, aut auctionem numeri inde accipere videtur, aut ipsum esse aliud, hoc vero aliud, sentire debemus: sicque nulla est ratio verbis illis utendi quae de dispensatione dici solent, corporalitate, inquam, et inhumanatione et unione,

quae nec hi *haeretici* recusare videntur, licet nesciant quid dicant.

Adhaesio enim unionem naturalem personae aut naturae non ostendit, sicut videmus hominem socio suo adhaerere, et quamcumque substantiam vel genus sibi invicem aut aliis quae non sunt eiusdem generis. Sicut adhaesio huiusmodi non facit ut ea quae coniuncta sunt, aut una persona, aut una natura, aut unum prosopon habeantur, ita nec Deus et homo, si per adhaesionem, ut hi intellegunt, in « unum prosopon », non vero ratione incorporationis et unionis, coniuncti sunt. Verbum enim in sua persona exsistebat antequam caro fieret. Et si quod confitemur, « Ipsum nempe incarnatum et inhumanatum esse », verum est, a fortiori et ipsum esse unam personam etiam post inhumanationem. Si autem, iuxta eorum sententiam, alteri adhaeserit, quid mysterii putandum est esse in hoc, *vel quae res p. 53. digna quam miremur, quod Invisibilis visibili adhaeserit aut in eo habitaverit, ut hi opinantur, et Spiritalis carni adhaeserit, et Deus homini, et Incorporeus corporeo, et Immortalis mortali? Nam, ut dixi, neque a visibilibus neque ab invisibilibus Deus remotus est aut longe exstans, sed, ut infinitus, praesens est omnibus, et in eo agnoscuntur omnia esse, in quantum est terminus finisque omnium, quemadmodum de eo clare dixit Apostolus[1]: « In ipso vivimus, et movemur, et sumus »; et quamvis ita se habere notum sit, nullum ex his quibus adhaeret, vel natura nostra antequam assumeretur, existimatur esse eius caro aut corpus aut persona. Nunc autem, quia se exinanivit, et humiliavit, et ad Virginem descendit, et ex ea incarnatus est, et inhumanatus, et conceptus et natus, et nobis in omnibus praeter peccatum, ut scriptum est, assimilatus, ipsius est, non alterius, caro quae facta est. Quod si incorporatio significaret dumtaxat Deum in homine habitare, ecce etiam in iustis habitabat, et omnibus adhaerebat, et in ipso omnia vivunt et subsistunt et moventur, olim et nunc. Quod vero « ipse factus est homo » ita intellegi nequit; nam cum eo non erat alius homo qui in eo subsisteret et moveretur et ambularet, sicut unusquisque nostrum, iuxta vim verborum Pauli: « In ipso vivimus, et movemur, et sumus »; sed ille qui appa-

[1] *Act.*, XVII, 28.

ruit Deus est factus homo, quemadmodum ille qui videbatur homo Deus erat; nam post inhumanationem totus est homo et
p. 54. totus Deus, nec agnoscitur unus in illo *et alter in hoc, unus consubstantialis Patri et alter nobis.

Absit ut ita sentiant ii qui cognoverunt in Christum recte credere. Verumtamen, licet sciamus mysterium huius rei incomprehensibile esse, eam tamen credimus, et per virtutem fidei nostrae doctrinas alienas foras proiicimus. Non enim dicimus, sicut Arius, Filium Dei creaturam esse; nec nomina « genitus » et « ingenitus » dolose introducimus, ut per ipsa demonstremus naturarum diversitatem inter Patrem et Filium, ut Eunomius intellexit: nec, praetextu exactitudinis e Scriptura desumendae, nomina quae veritatem generationis divinae ostendere valent, recusamus; nec Spiritum sanctum extra essentiam divinam ponimus, sicut sensit Macedonius; nec dicimus incorporationem sine anima, quemadmodum rursum Arius et Eunomius opinati sunt, aut sine mente, sicut Apollinaris intellexit; nec corpus e caelo esse, sicut Valentinus et Bardesanes sibi finxerunt; nec Verbum in phantasmate aut falsa apparentia se manifestasse, quemadmodum Marcioni et Maneti dicere placuit; nec in Virgine, sed non ex ea, incorporatum esse, aut, si ex ea, nobis non esse consubstantiale, sicut Eutyches stultus et asseclae eius intellexerunt; sed credimus, quemadmodum e sanctis Libris didicimus, et ab eis qui eorum sensum recte cognoverunt, accepimus, Deum Verbum, Filium aeternum et naturalem, aequalem Patri secundum essentiam, semetipsum exinanisse, et, sicut dixit Apostolus, servi formam sumpsisse, et in similitudinem hominum factum esse, id est, nobis assimilatum esse in omnibus praeter peccatum, formam
p. 55. nostram *faciendo suam; quia visus est homo, licet Deus esset; et revelatus est licet secretus; et manifestatus est licet absconditus: et inter homines nobiscum connumeratus est, licet unus ex trinitate; et incessit et ambulavit ut finitus ex una regione ad aliam, licet finis et terminus esset omnium. Factus est homo perfectus quoad animam et corpus et mentem, ut totum hominem renovaret; et cum esset Deus verus quoad naturam et essentiam et aeternitatem, factus est, sicut dictum est, praeter peccatum quod nec homo nec natura est, homo verus, modo mirabili et supernaturali, et nobis consubstantialis secundum carnem.

### Tertium. Alia sententia.

Venit itaque quin a Patre discesserit, Deus Verbum et, secundum oeconomiam, per annunciationem Gabrielis archangeli, in sancta Virgine habitavit, et ex ea modo mirabili per Spiritum sanctum consubstantialem incorporatus est. Filius enim incorporatus est, et Pater eum corpore induit, et incorporatus est per Spiritum, et ex Virgine incorporatus est. Scriptum est enim Filium dixisse ad Patrem quod *is* « aptavit ei carnem » [1], et, evidens est, per Spiritum sanctum, ipsi *Filio,* non alteri, corpus aptavit. Etenim, non in hominem formatum et in Virgine positum descendit et habitavit Verbum; sed in ea efficaciter habitavit, quemadmodum scriptum est [2]: « Spiritus sanctus superveniet in te, et Virtus Altissimi obumbrabit tibi ». Quod si Spiritus causa est conceptionis, patet eum qui conceptus est, Filium esse, non hominem. Primum quidem incorporatus est et dein conceptus, ut nobis quoad omnia cognatus sit, sicque ratione communicationis naturalis in nobis habitare possit. Quapropter ipse vocatus est caput, nos autem membra. « Verbum caro factum est *et habitavit in nobis »; quasi diceret: « factum est caro ut nos ei templum simus in quo, sicut in membris suis, habitaret ». Itaque ipse etiam corpus suum vocavit templum, ut haec appellatio ab eo ad nos deflueret. Et si scriptum est [3]: « Iesus autem dicebat de templo corporis sui », templum vocavit non alium hominem extra se agnitum, sed corpus suum, quod existimatur ad eum unice pertinere, quemadmodum ad quemlibet hominem corpus eius pertinet, et vitam et virtutem et operationem eius possidet, quemadmodum etiam omne corpus ad animam, quae in eo habitat, pertinet. Cum autem factus est homo, per ipsum cognovimus eum esse Deum, et non cessavisse esse Deum eo quod factus est sicut nos. Hoc sensu si quis dicat absconditum esse in revelato, et Deum in humanitate, et Verbum in carne, et eum qui est in eo qui factus est, non quidem tanquam alium in alio, sed tanquam ipsum in seipso, ille, ut opinor, a sententia orthodoxa non recedit; sicut etiam anima hominis dicitur esse in corpore,

p. 56.

[1] Cfr. *Hebr.*, x, 5. — [2] Luc., i, 35. — [3] Iohan., ii, 21.

nec existimatur esse alter homo extra eum, ita etiam caro ad eum pertinet, nec reputatur esse alterius extra eum; sed quocumque horum vocetur, idem homo agnoscitur, et revera unoquoque eorum totus vocatur in sancta Scriptura.

Assumpsit igitur corpus humanum ex Virgine Deus Verbum, non tamen absque incarnatione et inhumanatione, quia in incorporatione agnoscitur etiam assumptio. Ipse factus est homo perfectus, nobisque assimilatus est in omnibus praeter peccatum. Persona illa, quae tota Deus est, ipsa absque incremento agnita est etiam homo, id scilicet quod facta est; quia non p. 57. facta est ex Virgine id quod erat secundum naturam, *sed id quod propter nostram salutem oeconomice adimplevit. Necessarium enim erat nos a passionibus, et morte, et corruptione liberari; quod nunquam evenire potuisset nisi ille, qui naturaliter ea superat, nobis consubstantialis fieret et nostris communicaret. Quapropter ipse carni et sanguini participavit, et nos participes effecit Spiritus et vitae et incorruptionis. Noli ergo in mente tua fingere phantasma illius quod non exsistit, aut eum numerare qui nusquam numerabilis agnoscitur. Etenim persona Verbi nusquam numerata est, nec ubi ex essentia genita est, nec ubi ex Virgine incorporata est, nec ubi in mundum caro intravit. Nullibi enim Verbum ut numerabile agnoscitur, quia id quod « est » ab illo quod « factum est » non separatur, nec id quod agnoscitur Verbum ab eo quod visum est caro, nec secretum eius a revelatione eius, nec divinitas ab humanitate eius, nec aeternitas ab eo quod sub tempore factum est. Etenim si homo in Virgine factus esset antequam Verbum caro in ea fieret, et agnitus esset hic alius a Verbo, forsan ratio adesset contrarium cogitandi, et, loco unius, existimandi eum qui in Virgine conceptus est, esse duo. Nunc autem, cum exinanitio prius evenerit et deinde « fieri », qui enim se exinanivit factus est, et qui est se exinanivit, plenitudo Verbi separanda non est ab exinanitione eius, nec essentia eius a « fieri » eius; non enim formata est caro, et deinde Verbum habitavit; nec incepit [aliquis qui sub tempore sit, et deinde, descendit qui est supra tempora; nec humilis agnitus est, et postea venit ab excelsis qui eum exaltaret; nec foetus assumptus est ex Virgine, et deinde Virtus Altissimi in eo mansit; neque infans formatus est; neque caro aliena plasmata est; neque agnita

est pars corporis quae fuerit vulgaris aut alteri adscripta et deinde Verbo unita; neque *forma servi facta est et deinde p. 58. a forma Dei assumpta; neque domus prius aedificata est in qua deinde mansit aedificator; neque exstructum est templum in quo Deus postea habitavit; neque templum in templo prius agnitum est, id est corporale in Virgine, et deinde Deus in utroque. Non enim scriptum est Virtutem Altissimi obumbrasse duobus, sed ei tantum ex qua Verbum concipiendum erat: « Quomodo fiet istud, quoniam vir non mihi cognitus est? » Ad quam annunciator respondit: « Spiritus sanctus superveniet in te, et Virtus Altissimi obumbrabit tibi » [1].

In Virgine igitur, non autem in homine ex Virgine assumpto, Verbum habitavit et ex ea conceptum est. Patet enim eum qui « factus est », eum esse qui conceptus est, qui est ipsum Verbum caro factum et Deus sine mutatione inhumanatus. Nam natura Virginis non dedit eius utero personam humanam in qua Deus habitavit; sed Verbum ipsum, quia factum est caro, conceptum est in ea et ex ea. Neque Virgo Deo obtulit hominem, quem ex ea assumpsit tanquam primitias; sed ipse « factus est » ex ea id quod fieri posset ut sit nobis primitiae ad vitam aeternam. Etenim, non erat in Virgine alia persona aut natura ab ea distincta quae Verbo coniungeretur; quia Verbum, licet ex ea corpus sumpserit, non corpus alterius sed suum sumpsit; nec alteri, sed sibi sumpsit. Non enim homo prius in Virgine formatus est quem Verbum assumpsit et secum numeravit unum, quia Verbum ex ea non numerabile, sed corporeum factum est. Patet id quod ex Virgine assumptum est, prius non fuisse alterius et postea Verbo adscriptum, sed constanter ad Verbum pertinere et corpus eius agnosci, quod secundum naturam ex nobis est et secundum personam ad Deum pertinet, quia *non sumpsit ex utero quod suum non erat. Etenim caro non p. 59. formata est in Maria, sicut Ieremias in utero, et deinde sanctificata et assumpta; sed caro, licet ex nobis sit, semper Dei creditur; nec licet sentire eam prius fuisse hominis et deinde Dei agnitam. Nam id quod non exsistebat, id est aliquis homo sicut unus ex nobis, prius non factum est et deinde assumptum; sed Deus Verbum, qui exsistebat, factus est homo quod

[1] Luc., I, 34, 35.

non erat, et mansit, etiam postquam factus est, id quod erat secundum essentiam et naturam. Haec enim conceptio non est modus essendi solitus, sed res mirabilis. Nam omnis homo, qui in mundum venit, prius recenter fit, et concipitur, et postea nascitur; Christus autem, homo mirabilis, non creatus est ad exsistentiam cum non esset, sicut quilibet homo; sed, cum exsisteret, voluit propter nostram salutem fieri homo quod non erat. Erat enim Deus et sibi placuit homo fieri, non eo quod non erat, sed eo quod est aeternaliter. Et quia, cum iam exsisteret, factus est, hoc « fieri » invenitur ab aliis differre. Etenim quodcumque fit, fit dum non exsistebat; Verbum autem, cum exsisteret factum est. Attamen non factum est id quod erat, quia illi opus non erat fieri id quod erat; sed factum est caro quod non erat, et mansit id quod erat Deus. Et quia utrumque horum est mirabile, nos debemus etiam utrumque cum admiratione et fide tenere, non vero investigare modum eorum, sed rerum ipsarum prodigium mirari. Et quia incomprehensi-
p. 60. bilia sunt. fortius debemus *credere ea esse Dei; cui semper convenit prodigia ostendere, mirabilia patrare, et ea quae ineffabilia sunt, ut Verbum Dei, facere.

Itaque hoc mysterium revelatum est, non explicatum; Spiritalis ex sua creatione formatus est, quod non potest elucidari; Ille, qui ex Ente est, creaturis connumeratus est, veritate essentiae suae non mutata. Non est mutatus quia non ex seipso factus est, sed ex Virgine sancta, per incorporationem. Ille enim qui incorporeus est, ex nostro corpore incorporatus est: et, cum incorporatus est, eius incorporalitas sine mutatione mansit. Mirabilis est haec res et ineffabilis quoad duo: quod Virgo pariat et quod Deus nascatur. Ita vero fieri debuit quia, si qui nascitur Deus est, ex Virgine nasci debet. Homo enim ex coitu solet nasci; Deus vero *ita* ut, etiam quoad suam humanam nativitatem, agnoscatur esse Deus; et, si voluerit aliquid novi ipse fieri et rationem alterius nativitatis sibi assumere, quae naturaliter naturae suae non conveniat, ita etiam quoad suam omnimodam incomprehensibilitatem remanet id quod erat. Voluit ex Virgine nasci et ostendit etiam hanc nativitatem esse ineffabilem uti est et superna nativitas, et forsitan magis ineffabilem quam ista; nam naturale est Deum ex Deo nasci, vere autem supernaturale Deum nasci ex muliere,

idque nec mens capere nec intellectus cuiuscumque creati ullo modo assequi potest. Impossibile enim erat Virginem parturire quin a viro cognosceretur, si quidem evidens est omnem fructum ex arbore humanitatis assumptum coitu concipi et ostendi solere. Quapropter Deus ipse, cum voluit *se in mundo ut p. 61. fructum humanum manifestare, incorporatus exivit e loco unde homines nasci solent. Et cum in aliis uteris voluntas eius infantes formet, in utero Virginis ipse personaliter conceptus est et natus est homo. Homo est quia ex muliere inhumanatus est, et simul Deus quia ex Virgine natus est, et conceptus est in utero quia carnem assumpsit. Caro autem eius non numerata est extra eum, quia per incarnationem caro ei advenit. Neque ob hanc causam debet dici duo, quia, quantumvis intendat mens ut in Virgine carnem sine Verbo videre quaerat aut carnem non esse Verbi, hoc non potest. Etenim, ne parvus quidem ictus oculi nec minimum temporis momentum deprehenditur inter obumbrationem et conceptum, et inter exinanitionem et « fieri ». Nam statim ac Virtus Altissimi una cum Spiritu sancto ad Virginem descendit, ut scriptum est, ille celeritate incomprehensibili incorporatus est. Spiritus miraculo ineffabili eum corpore induit, et Verbum conceptum est quia incorporatum. Spiritus vero supra incorporationem permansit, quia homo non factus est.

Haec humana Verbi nativitas existimatur similis divinae; quemadmodum enim in hac Pater non potest absque Filio videri, nec Filius sine Patre, ita et in utero Verbum non potest videri sine carne, nec caro quae Verbi non sit. Et sicut Filius incomprehensibilis est quoad modum quo ex Patre genitus est, ita et quoad modum quo ex Virgine factus est. Utroque enim modo ineffabilis est, quia utrumque ad Filium pertinet. Pater unum aeternaliter genuit, qui est Filius eius consubstantialis; Virgo eumdem in tempore peperit, quia ipse est qui per incarnationem ex ea natus est. Ille, secundum suum « esse », agnoscitur Deus; secundum autem *« fieri », homo. Et quia p. 62. unus et idem est, siquidem ille qui est est hic qui factus est, et hic qui factus est ille qui est, etiam unus et idem agnoscitur quoad utrumque. Etenim non est incarnatus in carne quae fuerit alterius; sed illius qui incarnatus est ex Virgine caro est. Nam non invenit carnem formatam et depositam in

Virgine eamque assumpsit, sed ipse incorporatus est ex ea statim ac ei obumbravit. Ubi vero alios, sicut Ieremiam vel aliquem ex prophetis, assumere voluit, ipse factum esse non dicitur. Etenim non congruebat ut, cum alius fuerit qui assumeretur, « fieri » diceretur de illo qui eum assumpsit; sed, ut mox dictum est, ipsum Verbum, quia factum est, carnem assumpsit; et quia non mutatum est cum factum est, ipsum creditur Deus etiam in quantum factum est, et caro etiam in quantum est. Quia post incorporationem, nec « esse » eius absque eius « fieri » considerare licet, nec eius « fieri » absque « esse » eius cogitare.

### Quartum: Sententia alia.

Omnis res quae ad exsistentiam venit vel ex nihilo fit, vel ex aliquo per mutationem constituitur. Hic vero, ubi Deus voluit homo fieri, neutrum horum est cogitandum: scilicet eum cum non exsisteret factum esse, aut eum per mutationem formatum esse; bene vero eum cum esset propter nos et pro nobis factum esse. At vero non mutatus est cum factus est, quia ex nobis et propter nos corpus sibi aptavit, non autem ut deficientiam aliquam hoc modo compleret. Etenim omnis creatura, sicut iam dictum est, fit dum non exsistit; et post-
p. 63. quam facta est, *non habetur ut non exsistens, quia amittit non exsistentiam eo quod fit, et impossibile est de eodem praedicari haec duo « esse » et « non esse »; sed « non esse » creaturae antequam fiat convenit, et « esse » postquam facta est. Ubi autem facta est non existimatur non exsistere, sicut, dum non exsistit, facta esse non cogitatur; sed, antequam creatura fiat, mens, ut dixi, sibi fingit eam solum « non esse » habere, et postquam facta est eam « esse » habere, et cognoscitur id quod facta est. Impossibile enim est haec duo « esse » et « non esse » de ea dici postquam semel agnita est ad exsistentiam venisse, quia non possidet « esse » antequam « non esse » amiserit, nec potuit alterum habere antequam suum primum « non esse » reliquerit. Et postquam facta est aliquid, hoc quod antea nihil erat redactum est ad eius exsistentiam. Haec, ut dixi, in omni creatura, sive ex aliquo sive ex nihilo facta, inveniuntur.

Ita vero non est sentiendum de hoc novo « fieri » quod apud Deum evenit; sed in duobus ab omni « fieri » differre agnoscitur, ab eo scilicet quo aliquid ex nihilo fit et ab eo quo aliquid ex alio constituitur. A primo differt, quia Deus non factus est cum non exsisteret, sicut naturae primordiae quae ex nihilo creatae sunt; sed ipse, quamvis factus sit, naturaliter exsistebat antequam fieret. Ab altero differt, quia Deus, postquam factus est, non mutatus est ab eo quod erat, sicut creaturae, quae cum factae sunt, suum « non esse » amittunt; sed ipse, etiam postquam factus est homo, remansit id quod revera erat secundum naturam *Deus. Et agnitus est in unoquoque eorum: p. 64.
et in eo quod erat, et in eo quod factus est, quia immutabiliter factus est. Etenim, cum exsisteret factus est sicut Deus, non vero cum non exsisteret sicut creatura. Quapropter « esse » in suo « fieri » non amisit, sicut creaturae, quae cum exsistentiam recipiunt suum « non esse » amittunt. Itaque, cum audimus Scripturam dicentem eum qui erat factum esse, nobis non est cur perturbemur aut dubitemus de tali locutione quod nova sit, quia licet dicatur factus, tamen non factus est modo quo fiunt creaturae. Nomen quidem idem est, res autem valde diversa; neque res, propter identitatem nominum, inter se comparandae sunt. Etenim, creatura cum fit ex nihilo fit, et ideo creatur ut exsistat; et, eo ipso quod fit, competit ei ut creatura appelletur. Non ita habetur de Deo creatore; sed, cum exsisteret factus est, et absque mutatione factus est. Antequam enim fieret, erat Deus tantum et Verbum, Patri consubstantiale et coaeternum; sed postquam factus est, hoc est, caro et homo: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis », ita etiam remansit quod erat, et essentia eius per eius immutabilitatem revelata est. Eo quod factus est sine mutatione, notum est etiam quod exsistebat cum nondum factus esset; quia non factus est pro seipso, ita ut eo quod factus est suum « esse » amiserit. Etenim, illi opus non erat pro seipso fieri, quia pro seipso exsistebat etiamsi factus non esset; sed quia pro nobis et propter nos factus est, sibi et propter se mansit absque mutatione id quod erat. Nam ille qui pro seipso fit, id est, ut *a p. 65.
minori statu ad maiorem transeat, non potest manere in eo quod erat, quia sibi, non aliis, factus est id quod factus est, et non potest sibi simul fieri et non fieri. Evidenter enim ille

qui non erat, sibi ipsi non erat; cum autem factus est, id est a Creatore conditus, factus est ut pro seipso exsisteret, non vero ut alii per exsistentiam eius crearentur. Et idcirco nulla est creatura cuius per creationem aliae factae sint; sed, quamvis scriptum sit ex primordiis naturis omnia constituta esse, unumquodque horum per suum proprium « fieri » agnitum est exsistere, non vero quia alia ex eo producta sunt. Num erat possibile ut, qui pro seipso fit, sit simul et non sit, simulque agnoscantur haec duo: nihil et aliquid, « non esse » et « fieri » ? Haec igitur ad creaturas pertinent. Creatoris vero, qui vult creaturis connumerari, omnino diversus est ordo, et eius « fieri » per quattuor differentias agnoscitur; primo, quia cum exsisteret factus est; secundo, quia cum factus est non est mutatus; tertio, quia pro nobis, non pro seipso, factus est; et denique, quia ipse factus est, nec alius fecit eum, sicut omnes creaturae quae sive per eum sive ab eo factae sunt. In hoc maxime apparuit potentia eius quod non solum reliquas creaturas ex nihilo creare potuerit, sed quod ipse voluntate sua seipsum fecerit quodcumque voluerit, id est hominem ex hominibus: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis ». His enim revelatae sunt potentia et essentia eius: potentia, quia factus est, et essentia, quia Verbum exsistebat etiam antequam fieret. Ipse enim « factus est caro », nec alius vi creationis actionisve eum formavit. Quod si scriptum est eum Patri suo dixisse [1]: « Corpus autem aptasti mihi », et scriptum est de Matre eius [2]: p. 66. « Inventa est gravida *de Spiritu sancto », his *verbis* ostensum est potentiam personarum divinarum esse aequalem, non vero eum praeter suam voluntatem factum esse hominem, sive a Patre sive a Spiritu sancto coactum; liber enim est quia arbitrium naturaliter possidet, nihilque habet contrarium sive quoad naturam sive quoad voluntatem. Multa vero contraria apud creaturas inveniuntur, quemadmodum vel initium creationis earum per contrarietatem cognitum est; si quidem ex hoc quod « non erant » venerunt ad hoc quod « essent », et manifestum est quod « non sit » aliquid et quod « est » contraria esse. Et quia per contrarietatem exsistentia omnium stabilita est, ipsum enim initium creaturarum exsistere ita cogni-

[1] *Hebr.*, x, 5. — [2] Matth., i, 18.

tum est, etiam ea quae sequuntur ita cognoscentur. Non autem ita Deus Verbum; sed apud eum utrumque secundum ordinem diversum agnoscitur. Quia non cum non exsisteret factus est, sicut creaturae, sed cum exsisteret factus est, quia sibi placuit, invenitur remotus ab omnibus contrariis quae cuilibet creaturae inhaerent. Quod si incepisset fieri cum non exsisteret, initium eius ex contrariis esset repetendum; nunc autem, quia contrarium cum eo non incepit, siquidem cum exsisteret, non vero cum non exsisteret, factus est: exsistit enim personaliter et aeternaliter apud Patrem: novissime factus est id quod sibi placuit. Voluntas eius nullo coercita est, nec infirmitate nec contrarietate. Et quemadmodum nullum contrarium eum prohibuit ne exsisteret, sed aeternaliter et essentialiter exsistebat, ita nihil voluntati eius contrarium esse potuit ne ipse fieret et faceret id quod sibi visum est utile. Etenim Deus Verbum in omnibus potens est, *et contraria nulla vi adversus eum pollent. p. 67.

Voluit olim ex nihilo omnia fieri, et nihil potuit nutum voluntatis eius prohibere, ne omnes creaturas, quas voluit exsistere, facile crearet. Ita et cum voluit homo fieri ab eo quod erat Deus, suum « esse » non prohibuit eum ne fieret quod non erat, id est homo, pro salute omnium sub caelo. Et quemadmodum nullum contrarium impedivit quominus essentia eius exsisteret, ita nec impedimentum esse potuit quod eum prohiberet fieri. Etenim, quemadmodum iam saepius supra dixi, incorporatione non mutatus est; sed, etiam ubi factus est, absque mutatione permansit in eo quod erat, quia natura eius mutationibus, et contrariis, et passionibus, et accidentibus superior est. Patet enim haec aliaque huiusmodi cum creaturis incepisse; ille autem qui altissimus est, cuius natura est supra naturam creatam, passionum omnium creaturarum expers remanet; et idcirco cum se humiliavit ut in humanis fieret, ibi etiam in impassibilitate quam habet mansit, et in regione contrariorum supra omnia contraria apparuit; per actiones revelavit suam essentiam et immutabilitatem suam, et probavit se esse fortem etiam in quantum factus est, sicut fortis est in quantum exsistit. Creditur enim factus esse homo infirmus et omnia humana expertus esse. De istis non est dubitandum; dixit enim de eo propheta [1]: « Vir est dolorum, et sciens pas-

[1] Is., LIII, 3.

siones, et in omni infirmitate factus ». Sed et Paulus praedicat fortitudinem eius praesertim in istis manifestatam fuisse; ait enim de ea [1]: « Infirmitas Dei fortior est hominibus ». Fortior est non solum natura et virtute hominum, sed etiam for-
p. 68. tior quam eorum scientia assequi possit. Quod si infirmitas *quae exinanitioni eius inhaeret incomprehensibilis sit, quis poterit fortitudinem qua essentia pollet comprehendere?

Non enim mutata est Dei essentia in « fieri », nec « fieri » eius in essentiam eius conversum est; sed quoad utrumque immutabilis permansit. Hoc enim naturae Dei inest et congruit quod, quocumque sit, sive in locis creaturarum, sive in locis cogitationum, sive in mundis corporeis, sive in eis qui supra corpora sunt, remanet id quod est. Si autem modum quo « factus est » scrutari volueris, statim respondebitur tibi ea ratione qua dictum est de essentia « est sicuti est ». Et si dicas « esse » inexplicabile quia ad naturam eius pertinet, tibi dicetur « fieri » eius incomprehensibile esse, quia ad eius voluntatem spectat. Ad hanc enim naturam, cuius naturalia inexplicabilia sunt, pertinet etiam illa voluntas cuius « fieri » incomprehensibile est. Naturam ergo contemplare, et ex ea voluntatem eius disce, et de utraque unam cogitationem in te habeas. Noli, propter timorem solitum, ea quae ad naturam spectant vitare, nec, propter audaciam quae nonnunquam dominatur, ea quae sunt voluntatis aggredi. Olim enim ea quae ad naturam spectant quidam scrutati sunt, et omnem inquisitionem et investigationem et sermonem, in quo verbis callidis uti solebant, de eis moverunt; quae cum comprehendere non potuissent, devicti tacuerunt. Ecce, in temporibus antiquis, Ariani, linguam suam de natura divina et essentia Dei et Patris retundentes, scire voluerunt quomodo ex natura sua Filium genuerit. Et quia natura essentiae simplex est et indivisibilis, arbitrati sunt incongruum quod credamus Deum ex natura sua Filium genuisse, ne exinde Deus divisibilis et mutationibus humanis subiectus inveniatur. Cum autem, ob timorem auctoritatis vel pudorem solitum, via disputationis de natura clausa
p. 69. fuerit, *tum audacia se vertit ad ea quae sunt voluntatis et ab illis quae ad naturam pertinent cessavit. Dicit enim haec

[1] I *Cor.*, I, 25.

esse incomprehensibilia; sed ea quae sunt voluntatis aggredi audet. Sed etiam in hunc simulatum pudorem et silentium investigationis de natura, non discretio adduxit audaciam; sed vis maiestatis fidei orthodoxae, quae ubique regnabat, culpavit, ut opinor, hanc audaciam qua aliquando usi sunt Ariani, qui naturae divinae et aeternae naturalia scire enixi sunt.

Culpa ergo tu pariter hanc audaciam tuam eo quod mysteria voluntatis attingere nititur, quae dum ostendit se ab uno fugere in alterum offendit. Filium enim natum esse ex Patre aeternaliter et ante tempora absque divisione et passione, evidens est pertinere ad naturam; eum autem factum esse carnem absque mutatione, et inhumanatum, et natum ex muliere, et humanas passiones sustulisse, *evidens est* pertinere ad voluntatem. « Cupivi, Deus, facere voluntatem tuam [1] »; et iterum Paulus ait [2]: « Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens; et rursus: « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem ». Tu vero, cum videaris investigationem de naturalibus Dei reiecisse, vim mentis tuae intendisti ad cognitionem eorum quae per voluntatem facta sunt: « fieri » inquam, et nativitatem ex muliere, et crucifixionem, et mortem acerbam; quae cum iudicaveris naturae divinae non convenire, voluntatem, quae ea fecit sua ut omnia per ea vivificaret, iniuria affecisti. Etenim, in temporibus antiquis audacia arcem validam aeternitatis naturae omni modo oppugnare aggressa est; at, cum a multitudine eorum qui simpliciter crediderunt devicta esset, agmen eorum qui Deo adhaerebant roboratum est, dum audacia debilitata *tacuit, non quidem discretione utens, p. 70.
sed quia vi auctoritatis oppressa est. Itaque, tum vi populorum fidelium, cum timore eorum qui tunc imperium obtinuerunt, Ariani debellati sunt et fugerunt; et tradiderunt ecclesias et templa eis qui recte credebant. Aufugit etiam una cum eis audacia illa quae aeternam nativitatem investigare ignoranter aggressa est; sicque verbum fidei in Ecclesia permansit fluens in omni simplicitate. Etenim, ii qui simplicitatem colebant ab initio facti sunt receptores fidei, quae, ut scimus, melius quam scientia humana et contemptus naturalis, tenet et servat ea quae ad credendum tradita sunt.

[1] *Hebr.*, x, 9. — [2] *Philipp.*, II, 7, 8.

Duas igitur nativitates Filio Dei esse, e Libris sanctis didicimus; unam naturalem, alteram vero voluntariam; unam ex Patre, alteram ex Matre; unam ante tempora et essentialem, alteram post tempora et humanam. Et quemadmodum nativitas naturalis comprehendi nequit, ita nec illa quae voluntarie per exinanitionem facta est, intellegi potest. Et cum certum sit eum esse eamdem personam quoad utramque nativitatem, unus enim est Filius Dei, licet ii qui eum genuerunt diversi sint natura, serva ei quod agnoscatur et sit incomprehensibilis quoad utramque nativitatem, et scientiae fidei omnia quae ad dispensationem in carne pertinent, relinque.

## Quintum: Sententia alia.

Quomodo Deus factus est homo absque mutatione, et Verbum caro quin in carnem conversum fuerit? interrogat, ut
p. 71. discat, qui christianus fieri non cupit. Cui *etiam nos respondere decet: Quemadmodum exsistit antequam fieret, ita et cum factus est, non est mutatus. Etenim, quemadmodum quoad exsistentiam Patris dicimus tantum eum exsistere quia exsistit, et quoad nativitatem Filii eum exsistere quia genitus, nec quid amplius dicere licet; ita etiam ad id quod factus est et natus est Filius in carne, e rebus humanis exemplum sumere non decet; sed haec res, quia unica est, debet esse sibi exemplum et ita intellegi: Quemadmodum dicitur esse Creatorem et esse creaturas, non tamen eodem modo creatorem et creaturas, nam ipse exsistit increatus, illae vero quia factae sunt; et, cum ipse et creaturae dicuntur « esse », differt in utroque casu sensus verborum, siquidem ipse creditur esse quia est, sed creaturae dicuntur esse quia factae sunt; ita de voce « fieri » apud illum et creaturas sentiendum est. Etenim, quemadmodum ille dicitur exsistere, et « esse » eius non comparatur cum creaturis quae exsistunt quia factae sunt: ita et « fieri » eius non est conferendum cum « fieri » creaturarum. Creaturae enim, ut patet, cum fierent, creaturae factae sunt et ex nihilo conditae; Verbum autem, cum factum est caro, mansit Deus sicuti erat antequam fieret. Neque dicere ipsum factum non esse, valet adversarius. Id enim vetant verba Apostoli praedicantis: « Verbum caro factum est ». Ecce Iohannes dixit Verbum factum esse:

quomodo autem factum sit, non exposuit. Dic ergo et tu cum illo et agnosce sicut ille Verbum, quod exsistebat, factum esse carnem *quod non erat. Adde etiam Verbum, cum factum est p. 72. caro, ab essentia sua non mutatum esse. Quod si res illa difficilis existimetur, nobis mirandum non est, quia ad Deum pertinet, estque mysterium absconditum et incomprehensibile; mysterio autem congruit ut sit inexplicabile. Noli timere ne indoctus habearis, si teneas mysterium in silentio cum Evangelista; ille quidem, cum ei revelatum est, et cum de aeterna Filii nativitate scripsit, dixit [1]: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum »; et ostendit tantum illud esse ex Patre, sicut verbum ex anima, cum vocavit illud Verbum eius; nam ipse revelavit quod etiam Pater est: quomodo vero ex eo et apud eum sit, et Verbum eius et Filius eius consubstantialis sit, non exposuit; fortasse quia illud nesciebat. Ita etiam, cum voluit doctrinam de dispensatione in carne verbis tradere, dixit tantum: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis »; quomodo vero illud evenerit non ostendit, et probabiliter quia vim mysterii non intellegebat. Haec enim non poterat intellegere, quia discipulus erat Spiritus non autem cognitor profundorum Dei. Quod si intellexisset non recusasset, ut puto, id quod sciret tradere, quemadmodum nos non celavit *Verbum* exsistere et factum esse. Ecce enim, evidens est, nos neutrum invenissemus: nec Verbum esse, nec carnem factum esse. Ipse Evangelista de duabus nativitatibus nos erudivit: una ex Patre, et altera ex Matre. De illa quae ex Patre est, dixit eum *a Patre genitum, sed non ostendit quomodo genitus p. 73. sit; de hac vero scripsit eum factum esse carnem ex Matre, sed non exposuit quomodo factus sit, quia res tantum ei revelatae sunt, non autem secreta earum exsistentiae, nec cognitio rationum earum. Quod revelaverit illud quod sciebat satis est, ut opinor, ad demonstrandum quod illud alterum, si cognovisset, nos docuisset.

Descende ergo et tu, o homo, de altitudine opinionis falsae scientiae quo te extulit vana cogitatio, et confitere cum Evangelista *Verbum* factum esse; modum autem quo factus sit,

[1] IOHAN., I, 1-2.

scientiae illius qui factus est relinque. Quod tibi nemo, ut opinor, vituperationi vertet, si ignorantiam tuam agnoscas respiciasque imbecillitatem tuam. Etenim, ex eo quod confiteris te nescire, clarius constabit te doctum esse, quia per scientiam potuisti ignorantiam, quae tibi ex errore acciderit, percipere; nam non id solummodo scientia reputatur quod quis sciat, sed id etiam quod se nescire agnoscat. Deus enim solus est vere doctus, qui possidet scientiam omnium quae effecta sunt sive in se, sive a se, sive apud se, sive in creaturis. Homo autem, ne illa quidem quae sua sunt vel quae ad suam pertinent creationem saepius scire potest: id est, quomodo haec caro nostra in principio e terra facta sit et nunc iterum ex semine et sanguine cotidie fiat, quibus species plures formantur, quae nec eis nec sibi invicem similes sunt, caro scilicet et capilli, ossa dura et medulla mollis, ungues et nervi, et cetera genera quibus corpus constituitur. Quod si quis dixerit scientia medicinae haec omnia clare tradere, sciat ille hanc scientiam exponere non posse quomodo semen in corpus mutetur, aut sanguis in
p. 74. ossa et capillos et alias species: *sed tantum compaginem corporis ex mixtione eorum constitui, et quae membra prius formari soleant, quae vero posterius, et quo modo et undenam corpus in utero nutriatur, licet etiam in istis inveniantur *medici* saepe errare, et potius quam docti habeantur ignorantiae arguendi sunt. Creator enim posuit in hominibus notitiam duorum: scientiae quam eis dedit, et infirmitatis naturae eorum, ut, ex eo quod aliquid quantumvis parvum sciant, rationales agnoscantur, et, ex eo quod non valeant totam scientiam adipisci, suam infirmitatem percipiant et *sciant* quantulumcumque scientiae, quod in ipsis est, non sui sed Creatoris esse. Scientiam ex parte acceperunt, non ut existimarent se esse doctos, sed ut intellegerent quanto sit sapientia Creatoris superior secretiorque scientia creaturarum. Talem enim scientiam in singulis naturis Creator abdidit et posuit, qualis, cum quisque ex ea disputationibus et exercitatione hauriat, remaneat imminuta et indeficiens.

Agnoscat quivis homo divitias sapientiae Creatoris, qui tantam scientiam in generibus vilibus et humilibus posuit. Disce ergo et praedica cum Iohanne, filio tonitru, Verbum factum esse carnem; sed serva cum eo silentium discretionis quoad rei

explicationem, et cum timore et verecundia hoc mysterium admirabile et divinum a longinquo adora. Ignorantiam enim cum Evangelista noli reputare stultitiam, sed potius sapientiam. Nec cogitare debes te exinde devictum esse, sed potius vera ignorantia opinionem *falsae scientiae a te superatam esse. Etenim, p. 75.
quia hic nescivisti, probasti te esse doctum. Noli ergo currere ad nova pro veris invenienda, aut ad ea quae opinioni tantum innituntur, pro eis quae sunt veritatis corpus. Sed dicet aliquis: Per exercitationem rationis sensus sapientiae comparabo? En, quis tibi dabit ut absque labore, et defatigatione, et investigatione profunda, et vexatione lectionis subito doctus fias per id quod reputatur ignorantia, et sapiens per insipientiam! Nulla enim est scientia maior illa, qua homo possit scire quousque et quasnam res scire valeat, et intellegat primum quaenam sub investigationem cadant, et deinde incipiat de illis ratiocinari. Sed ille qui investigare cupit, dicet: Quomodo accipere possim illud: Verbum caro factum est? Quemadmodum accepisti *Verbum* exsistere cum nondum factum esset, etsi non intellexeris quomodo exsistat, ita et teneas Verbum factum esse carnem absque mutatione, nec inquiras quomodo factum sit. Etenim de te ipso non loqueris, neque de una ex meris creaturis, sed sermo tuus ad Deum spectat, de quo scriptum est [1]: « Nihil est impossibile apud eum », et [2]: « Omnia quaecumque voluit fecit in caelo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis ». Deum enim dici exsistere quin factus sit, per comparationem ad novas creaturas, existimandum est; nam nulla creatura putatur exsistere nisi facta sit. Creator autem ab omnibus putatur exsistere licet non factus. Et, quemadmodum omnis creatura agnoscitur exsistere quia facta est, Creator creditur exsistere tantum quia est. Quapropter ipse est qui vere exsistit, quia nullum est tempus quo non exsistebat; scilicet *tempus essentiam eius non attingit, p. 76.
quia omne tempus vel momentum apud creaturas manet, quarum quaedam initium et finem habent, quaedam vero, licet inceperint exsistere, finem non habebunt. Et quemadmodum Deus, secundum suum « esse », cum creaturis, quae et ipsae dicuntur esse, non comparatur, ita et secundum suum « fieri », non debet ad creaturas componi. Quod si *Deus*, cum homo factus

[1] Luc., i, 37. — [2] *Ps.* cxxxiv, 6.

est, illud in quo agnoscitur esse Deus, per mutationem reliquisset, sicut creatura quae, cum ex nihilo fit, nihilum esse per suum « fieri » amittit, forsan haec dicendi locus esset; quia vero, cum factus est homo, Deus ineffabiliter permansit, illud « factus est », sicut illud « est », inexplicabile perstitit. Omne enim verbum, quod de Deo dicitur, vim specialem, Deo tantum convenientem, habere debet illudque sicut Deum decet, non autem secundum experientiam rerum apud nos, intellegamus necesse est. Nam si verbis nostris vel ex nobis de Deo tractandum est, haec verba tamen eo sensu qui Deo conveniat accipere debemus. Quicumque enim illa sic intellegere non curavit, doctrinam alienam religioni absonam invenit et introduxit in sermone de Deo. Hoc plerumque causa fuit omnis haeresis, quia haeresis aliter de Deo sensit, aliter autem locuta est. Inventores quidem omnis haeresis Deum et actiones eius iis verbis, quibus nos utimur, vocaverunt, quia impossibile erat aliter loqui. Et, quia aliquas voces et sensus ex nostris et ex eis quae apud nos sunt sumpserunt, turbati erraverunt. Et quicumque
p. 77. a nobis cum verbo rem etiam tulit Deoque tribuit, *doctrinam novam Deo non congruentem introduxit.

Scrutare ergo, si vis, singula nomina, et scias quod non liceat cum nomine etiam rem per nomen significatam intellegere, nec ea quae Dei sunt cum nostris comparare. Deus quidem dicitur factor, quod nomen etiam omnibus opificibus apud nos convenit; modus autem operum in utroque casu valde et infinite diversus est. Etenim, opifices nostri artem suam per disciplinam discunt singulaque opera e materia propriae arti apta perficiunt; eis etiam opus est loco aliquo et tempore et aliis rebus, e quibus et per quae unumquodque opus efficere possint. Non ita Deus factor omnium, qui non solum factor est, sed etiam creator; quia omnia ex nihilo creare potuit, et ex naturis, quas ex nihilo ad exsistentiam vocaverat et adduxerat, omnia, sicut congruum sibi visum est, fecit, stabilivit, et ornavit; neque ei opus fuit tempore, neque doctrina, neque materia, neque loco, neque aliis instrumentis, quibus omnia opera effici solent. Quapropter quicumque vult ab exemplo eorum quae ad nos pertinent, ea quae Dei sunt in quaestione praesenti intellegere, sibi fingit Deum ex aliqua materia ei non convenienti creaturas condidisse. Qui talia senserunt Ma-

nichaei fuerunt, et Marcionitae, et discipuli Valentini et Bardesanis, et alii haeretici qui ante illos fuerunt. Hi enim omnes opinati sunt Deum hunc mundum visibilem, et corpora et genera et naturas quae in eo sunt, ex aliqua materia formasse; et quia de Deo senserunt et intellexerunt haec secundum experientiam opificis et operum nostrorum, procul a veritate, *et p. 78. ab omni doctrina quae Deum decet, recesserunt. Ita et Arius, et Aetius, et Eunomius, et quicumque putat Filium Dei esse creaturam; ex modo quo generationes et nativitates apud nos se habent, causam sumpserunt etiam de hac Verbi nativitate debiliter sentiendi. Et cum contulerunt nomina rerum ad invicem, id est, Patrem cum patribus apud nos et Prolem cum partubus apud nos, et Filium cum filiis nostris, prohibiti sunt ne recte accederent ad scientiam huius nativitatis et intellegerent Deum sicut Deum generare, hominem autem sicut hominem, modo infirmo. Etenim, ad generationem humanam primum requiritur coitus et fluxus *seminis* naturalis, et uterus qui semen accipiat, et sanguis feminae qui semini misceatur, et locus in quo foetus formetur, et dies et menses et tempora, et sanum corporis temperamentum, et cum istis etiam cibus et potus aliaque multa. Haec quidem spectant ad formationem et nutritionem in utero. Cum autem tempus venit ut qui conceptus est nascatur, alia requiruntur ad nativitatem, quae singula necesse non est verbis declaremus quia omnibus nota sunt. Itaque haeretici praedicti, cum haec respicerent, quae eis tantum qui modo humano et carnali generant congruunt, a scientia quae aeternae generationi convenit defecerunt; sicque pro luce tenebras invenerunt, et, per tenebras pervagantes, non facile ambulaverunt, sed offenderunt. Patrem reputaverunt Creatorem, Filium autem creaturam, et per appellationes non scriptas Geniti et Ingeniti opinati sunt aliam esse naturam Genitoris, aliam vero naturam Geniti. Ita etiam Sabellius, et Photinus, et Marcellus Galata eisdem *pravis opinionibus imbuti sunt; p. 79. et quia essentia divina simplex est et incomposita, nec divisiones nec sectiones nec partes diversas ullo modo patitur, senserunt unam naturam non posse esse tres personas sine divisione et notitia partium. Haec illi tenuerunt: nos vero non ita; sed quemadmodum a sanctis Libris et ab eis per quos Deus locutus est didicimus, intellegimus omnia quae ad Deum

spectant et pertinent; scilicet eum esse factorem, sed non sicut nos; eum esse Patrem, non vero ad nostram similitudinem; et unum esse tres et tres unum quin, sicut corpora apud nos, natura divina dividatur. Ita et si bonus, misericors, iustus, rectus, rex, omnipotens, sapiens, scrutator, doctus, et scientia plenus Deus a nobis reputatur, quae naturaliter confitemur ad eum pertinere nostris nominibus non mensuramus, nec cogitamus eum tanquam unum ex hominibus exsistere aut possidere aliquam ex his perfectionibus, aut regnum eius esse sicut illorum qui super homines regnant. Nec cum Scriptura dicit eum videre, audire, respirare, olfacere, cogitare, loqui, incedere, ambulare, ire, venire, eique tribuit actiones huiusmodi quae sensibus et membris corporeis conveniunt, putamus eum ob hanc causam compositum esse sicut nos; sed sentimus, ut rationales decet, operationes quae Deo tribuuntur absque vocibus et nominibus, quae ex nobis et apud nos sunt, cognosci non posse; nec, quia operationes eius nostris nominibus enuntiantur, passiones nostrae apud eum inveniuntur, nec infirmitatem nostram experitur cum perficit opera, et facit, aut ge-
p. 80. nerat; sed illi credunt, qui recte sentiunt, eum *sicut eum decet opera fecisse non solum ex aliquo, sed primum ex nihilo. Deus enim primum agnitus est ut creator, et postea ut factor; nam ex nihilo creavit et ex aliquo fecit, quia Deo nihil est difficile. Etenim, si vult, respicit nihilum et aliquid fit; et si ei placet, illud, quod ex nihilo ad exsistentiam vocat et adducit, format et ornat, illudque fructificare, et generare, et crescere facit. Et cum talia de eo sentimus, ad nostra nullo modo attendimus, sed de omnibus operationibus eius modo speciali, sicut eum decet, opinamur. Ita etiam sentimus de hoc quod ex essentia sua Filium generavit, et credimus eum semper esse Patrem quia semper habet Filium, et tempus non incepit cum una ex personis *divinis*, quia ante saecula et tempora exsistunt: « Per eum fecit et saecula »[1]; evidens est saecula et tempora non incepisse cum nativitate eius per quem saecula facta sunt.

Filius non natus est per passionem aut divisionem, sed sicut lumen ex lumine, et sicut Deus ex Deo. Etenim, quemadmodum radius e sole oritur, et splendor ex igne, et verbum ex anima,

[1] *Hebr.*, I. 2.

ita et Filius ex Patre absque passione exivit et cum eo semper exsistit, quia ex essentia eius genitus est Filius ei similis, et ab eo exivit splendor ei aequalis. Patri enim nec tempore opus fuit, nec loco, nec fluxu *seminis*, nec aliquo alio, tanquam adiutorio vel causa huius generationis; sed ipse agnoscitur ex seipso genuisse Filium in omnibus ipsi similem, et parem atque aequalem secundum essentiam, et virtutem, et potentiam. Omnia Patris naturalia, paternitate excepta, habet. Non enim licet ea quae Dei sunt ut falsa haberi, eo quod captum *compre- p. 81.
hensionis nostrae superant; sed ob hanc causam potius credenda sunt. Nam quo maius existimatur id quod ad Deum pertinet et agnoscitur supra limitem et mensuram, eo magis scientia de Deo debet in nobis firmari et adoratio eius apud nos augeri. Et dum ea quae ad creaturas pertinent, quamdiu non agnoscuntur, ut non exsistentia reputantur, exsistentia eorum quae Dei sunt, sive ad naturam eius spectent sive voluntati eius conveniant, cum non comprehenduntur, in nobis magis debet firmari. Quod si haec scientiam quam ex parte habemus effugiant, curemus ea per scientiam fidei tenere. Etenim, quoad ea quae sensibus aut ratione cognoscuntur, fide nobis opus non est; nam quodcumque per scientiam apprehensum est et retentum, ut sciamus id exsistere fides non requiritur.

Ne dubites ergo quin Deus homo factus sit, et passiones expertus sit, et mortem gustaverit, aut quidquid accidere voluerit Deus; ea enim debes credere propter duas istas rationes: scilicet, quia in Libris narrantur, et quia de Deo scripta sunt. Sint tibi in exemplum fidei, etiam si *sunt* haeretici, illi qui a te redarguuntur. Eos reprehendis et audaciam eorum acerbe condemnas, quod ea quae incomprehensibilia sunt investigare studeant. Noli ergo tu, alio modo in errores eorum incidere, nitens ea quae inscrutabilia sunt scrutari, aut quae comprehendi non possunt assequi, aut quae fides tantum amplecti potest scientia tenere; quantum lateat eorum sensus, Deus tantum, factor eorum, cognoscit. Manetem, Marcionem, et Valentinum aliosque culpasti, ut opinor, quod sentirent Deum non potuisse creaturas ex nihilo facere, et fingerent materiam quam coram eo posuerunt, sicut lutum coram figulo *et beryllum coram p. 82.
aurifice. Tu reprehendis etiam Arium qui, debilitatem patrum apud nos attendens, ex ea causam sumpsit de essentiali gene-

ratione opinandi, et, quia nescivit credere Deum tanquam Deum genuisse, loco prolis creaturam et loco Filii servum intellexit. Item, tu condemnas Sabellium et Photinum, qui, ob simplicitatem et indivisibilitatem essentiae divinae, cognitionem personarum et fidem in trinitate perverterunt. Hos vero si vis reprehendere, debes tibi constare, et quemadmodum confiteris Deum ex nihilo creaturas fecisse, sed non quaeris quomodo eas fecerit, et credis eum ex essentia sua Filium genuisse, sed non scrutaris quomodo eum genuerit, et tenes naturam aeternam in tribus personis agnosci, sed non disputas quomodo unum sit tres et tres sint unum: ita et credere debes Verbum factum esse carnem, quia scriptum est, et natum esse ex Virgine, quia in Scriptura positum est; quomodo autem vel quo medio natum sit ex Virgine, coniugii experte, scientiae illius qui factus est utrumque relinque. Ei enim scientia, tibi vero fides convenit; ei congruit quaecumque vult, facere, tibi vero ea quae facit, ut certa habere. Ex fide quidem nulla haeresis orta est. Itaque cur ab hoc recessisti quo magis ostenditur te esse christianum? Sed debes vanas opiniones a te eradicare, quae nomen falsae scientiae sibi arrogant. Istae opiniones secundum verbum putantur scientia, sed per investigationem et realitatem ignorantia esse inveniuntur. Vera enim scientia de
p. 83. eis quae ad Deum pertinent, *ea est quae scire potuit se nihil scire, et percipere valuit se nihil intellegere. Et quemadmodum apud ea quae in mundo sunt, illa existimatur scientia quae vires naturarum et operationum aliarumque rerum humanarum scrutari et assequi valuit: ita et in eis quae Dei sunt, illa habetur scientia quae praescivit et decreto definivit ista comprehendi non posse nec cuiuslibet creaturae scientia intellegi. Etenim, quod sciamus vel Deum exsistere, gratia nobis datum est; quia vocati sumus rationales et cognoscimus nos percipere bonitatem eius. Si autem notio exsistentiae illius, qui in essentia sua exsistit, captum nostrum non excedit, non tamen debemus investigare quomodo exsistat, aut qua ratione aliquam operationem dispensationis pro nobis perfecerit.

### Sextum: Sententia alia.

Deus est igitur qui inhumanatus est et natus est ex Virgine. Illud opus, quia prodigium est, non autem res naturalis, debemus per fidem tantum accipere. Etenim si fides nobis necessaria sit ut teneamus Deum opera ex nihilo fecisse, et aliter ne opus quidem ipsum credi potuisset, quomodo sine fide possemus tenere eum, cum esset Deus, se ipsum exinanisse et incarnatum esse et apparuisse ut hominem? Itaque te merito redarguent, propter investigationem quae te sollicitat, etiam qui existimaverunt Deum opera ex aliqua materia fecisse; hi inveniuntur te iustiores, quia *personam Dei, sicut tu, non negaverunt p. 84., nec putaverunt eum non exsistere, sicut tu aperte deprehenderis sentire, sed tantum dubitaverunt num ex nihilo opera fecerit. Undenam sequatur te personam Dei negavisse, ecce continuo ostendam. Nobiscum non confiteris eum, qui inhumanatus est et natus ex Maria, esse Filium Dei verum et aeternum, et Deum ex Deo, etiamsi in forma humana apparuit, sed reputas eum esse tantum merum hominem, sicut unum ex nobis. Si res ita se habet, et si ille qui natus est non sit Deus, sed homo, quomodo talis confessio non est aperta Dei negatio? Etenim, per hanc corporalem nativitatem nobis revelatum est Deo esse Filium; sed tu dicis non ipsum, sed hominem, natum esse, ita ut ne exsistentia quidem eius agnoscatur; nam exsistentia eius non cognita est ante revelationem in carne, nec constabat Deum, Patrem eius, esse revera Patrem Verbi sui. Dixit enim [1]: « Nemo novit Patrem nisi Filius; neque Filium quis novit nisi Pater »; et iterum, de Patre suo discipulis suis dixit [2]: « Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo ». Iudaeis Pater ut Deus tantum, non vero ut Pater, notus erat; nemini autem revelatum erat Filium esse Filium et Deum; nunc vero, revelatus est per incarnationem et nativitatem suam, et simul creditus est ab eis qui ex Iudaeis et gentibus vocati sunt. Creditus est autem esse Deus, licet in specie humana sese manifestaverit. Hoc confirmatum est multis signis quae *tempore nativitatis eius facta sunt: ex stella quae eum p. 85.

[1] Matth., xi, 27. — [2] Iohann., xvii, 6.

annunciavit, ex Magis et eorum donis, ex multitudine Angelorum qui eum annunciaverunt, necnon ex alio Angelo qui eum pastoribus manifestavit; et iterum, ex eo quod absque viri consortio conceptus est et natus ex matre virgine. Qui aliter sentit invenitur haec omnia testimonia aliaque huiusmodi ut falsa habere. Tu vero, doces eum propter quem haec et alia huiusmodi testimonia data sunt, non esse Filium Dei, sed hominem quemdam, sicut unum ex iustis, qui magnus agnitus est non per naturam sed per creationem suam. Quod si hic non sit Filius, sed homo, tunc ne esse quidem Deo Filium evidens est. Ubi enim quaeretur Verbum Dei, si hic non invenitur? Et unde sciemus eum vel exsistere, si ex hac nativitate id non discimus? Nam si ille qui ex Virgine natus est idem non sit qui ex Patre genitus est, sed alius homo mortalis ab eo distinctus, existimare debemus quod Deus naturaliter Filium non habet, quemadmodum et haeretici cum Iudaeis dicunt. Filius igitur Virginis est ipse Filius consubstantialis; et ille, qui fabri filius vocatus est, ipse est per quem saecula facta sunt. Si quis eum recte quaerit, quae spectant ad hanc nativitatem percunctetur. Haec enim porta fuit per quam ille ad nos intravit qui, statim ac per illam intravit, continuo ab Angelis adoratus est, ut Apostolus etiam hac de re affirmat[1] : « Et cum introducit primogenitum in orbem terrae, dixit: Adorent eum omnes Angeli Dei ». Quod et Evangelista revelavit; scripsit enim[2]:
p. 86. « Statim ac natus est, subito visa est multitudo *militiae caelestis clamantium et annunciantium quae scripta sunt ». Ex utero ergo revelatus est in carne; ex vulva corporaliter se manifestavit. Virgo igitur primogenitum in mundum introduxit, sicut scriptum est. Et si hic Filius Dei est, quemadmodum nos credimus, per hanc nativitatem cognovimus eum exsistere. Si autem est homo alius a Filio distinctus, non habemus unde invenire possimus Filium Dei, nam ubi hic agnoscitur in Scriptura adversarius dicit: Apparuit nobis homo; et ubi Christiani putaverunt se id cognovisse quod ignorabant, ecce occurrit eis quod prohibitum est quominus scirent. Etenim per humanam nativitatem crediderunt se Filium Dei cognovisse, et qui contentiose docet dixit eum existimandum esse hominem, non autem

[1] *Hebr.*, I, 6. — [2] Luc., II, 13.

verum Filium Dei. Hinc alterum ex duobus sequitur: aut Deo naturaliter Filium non esse, aut, si est, nondum revelatum esse. Quantum re vera sit pravitatis in tali opinione, plurimis ostenditur: primo, ut dixi, quia existimatur Deo Filium non esse, vel, si est, nondum se revelavisse; secundo, quia prophetae hominem annunciasse videntur, non vero Filium Dei; tertio, quia prius Testamentum invenitur posteriori excellentius, si qui illud tradidit praedicatus est Deus, qui vero hoc dedit est homo; quarto, quia dum Lex nos docuit Deum adorare, hoc Testamentum anthropolatriam introduxit; quinto, quia si qui pro nobis natus est homo est naturalis, non vero Deus *secundum p. 87. carnem natus, nos non facti sumus filii Dei, sicut credidimus; sexto, quia si ille qui carnem assumpsit non est Deus, sed merus homo creatus, Spiritum sanctum ex baptismo non accepimus; et praeterea falsum est quod credimus, eum scilicet absque coniugio conceptum et ex Virgine natum esse; denique et, ut brevius dicamus: vana est fides nostra deficitque spes nostra, et exspectatio nostra versatur circa rem minime firmam, si ille qui ex Maria natus est homo, non autem Deus pro nobis inhumanatus, existimatur. Neque nativitas quae ab ipso per baptismum fit vera invenitur, nisi prius credatur nativitatem eius per gratiam ex muliere fuisse. Etenim, quia ille qui est Filius naturalis ex Virgine natus est, nos etiam in baptismo per gratiam eius filii Dei facti sumus. Et si hic unus Filius non factus est homo ex utero carnali, nec nos multi nati sumus filii ex aqua et Spiritu, quia per naturalem filiationem adoptio filiorum per gratiam stabilita est. Et nisi qui nobis causa fuit ut per gratiam filii fieremus, credatur esse Filius naturalis, nulla est in dono adoptionis fiducia; nec vera est libertas quae humano generi adscripta est, si naturaliter liber non est qui nos liberavit, quia ille qui agnoscitur servus, et natura sua est, suos collegas liberare non potest. Nam si per gratiam accepit id quod factus est, est etiam creatura, et persona eius recenter creata est sicut persona cuiuslibet nostri; unde ergo aliis dare potuit ut filii fiant? Nam quomodo ille qui, si creatus non esset, homo non fuisset, alios potuisset Dei filios efficere? Non enim potest effictus opera efficere, nec creatura potest aliam creare, non solum quod maius est, ut id quod nos nunc in baptismo fimus, *sed ne id quidem quod na- p. 88.

turale est. Etenim, quomodo ille qui, cum veteravisset et corruptus esset, ab alio renovari indigebat, potuisset renovare eos qui veteraverant, aliisque dare gratiam sibi collatam? Quomodo qui, nisi propter nos creatus esset, nullo modo exstitisset, alios creare valuisset? Quod si dicunt eum creatum esse ut nos denuo crearet, et idcirco factum esse ut nos de novo faceret; hac de causa igitur debet nobis gratias agere, quia nisi ut nos faceret factus non esset, et nisi ut nos renovaret creatus non esset! Et quemadmodum omnia propter nos facta sunt, ait enim Paulus [1]: « Omnia propter vos », ita et ipse invenitur propter nos factus esse. Et quemadmodum Paulus propter nos electus est ut esset apostolus, et etiam alii discipuli, ut omnes essent pariter praecones et doctores gentium, ita et Christus, si homo sit, non vero Deus inhumanatus, invenitur etiam propter nos factus et conditus ut nos per ipsum crearemur, sicut artifex singula instrumenta fabricat quibus opera suae artis perficiat. Quod si propter nos creatus sit, ille nostri est, non autem nos illius sumus. Ad quid ergo Apostolus dixit [2]: « Vos autem Christi », et non docuit quod exinde sequitur, nempe Christum esse nostri? Hinc Christus agnoscitur quolibet homine inferior, quia unusquisque nostrum propter seipsum fit, ut in suo « esse » et in sua persona agnoscatur; ipse autem fit propter ministerium aliorum, sicut et omne instrumentum artis fit propter opus ope eius perficiendum. Et rursum, quemadmodum etiam p. 89. omnia pecora, *et animalia, et species volucrum, pariter propter homines facta sunt, alia ad laborem, alia ad cibum, alia ad oblectationem, et alia ad aliud officium, ita et ipse, eorum instar, propter homines creatus est, ut opus ad salutem eorum utile ab ipso perficeretur! Sed ista, quae opinari blasphemia non autem fides est, revertantur in caput eorum qui causa sunt cur ita locuti sumus.

Itaque, Christus nobis gratias agere non debet, o haeretice, sed nos ei gratiam reddere debemus, quia cum esset Deus secundum naturam, propter nos inhumanatus est; et, cum esset altissimus, seipsum humiliavit; et, cum esset sublimis, seipsum demisit; et, cum esset plenus, semetipsum exinanivit; et, cum esset dives, se pauperem fecit; et, cum esset forma Dei, formam

[1] II *Cor.*, IV, 15; I *Cor.*, III, 22. — [2] I *Cor.*, III, 23.

servi sumpsit; et passiones mortemque pro nobis voluntarie pertulit, cum esset immortalis et impassibilis secundum naturam suam, sicut et Pater ex quo natus est. Omnia enim divina naturaliter habet, sicut essentiam Patris, Genitoris sui, possidet, nihilque novi per inhumanationem accepit, praeter inhumanationem et ea quae ad eam spectant. Suis ergo nos honoravit et glorificavit; nam, quia ipse factus est homo, nos filii Dei et Patris facti sumus. Et quemadmodum « esse » eius non investigamus, ita nec eius « fieri » inquirimus; sed hoc, sicut cetera, fide tantum accipimus et confitemur Deum incarnatum et inhumanatum esse, non ex aliunde, sed ex sancta Virgine, sine peccato, sine copula et fluxu recipiendo, sine semine *mortali, sine concupiscentiae motibus. Quomodo autem incarnatus sit cum esset spiritus, et incorporatus cum incompositus agnosceretur, et inhumanatus cum crederetur Deus, et formam nostram sibi sumpserit quin suam formam substantialem et aeternam amiserit, haec omnia, quia omnes facultates mentis humanae et investigationem intellectus superant, scientiae eius tantum relinquimus; nam decet eum qui ea perfecit illa cognoscere. p. 90.

Itaque recte et sine culpa confitemur, sicut ex Libris sanctis didicimus et a beatis Patribus qui Nicaeam convenerunt, et ab aliis doctoribus qui eadem ac illi senserunt, accepimus, Deum de Deo, Filium aeternum et Patri consubstantialem descendisse, incarnatum esse ex Maria virgine per Spiritum sanctum, et inhumanatum esse; et eum, dum in utero conceptus erat, in sinu Genitoris sui fuisse; et dum existimabatur in utero conclusus, omnia implevisse; eumque totum fuisse in Maria et totum in mundo et totum in essentia, non per partes quidem, sed totum in singulis; totum in Patre sicut Filium consubstantialem; totum in mundo quia mundus in eo movetur, et subsistit, et vivit, et servatur; totum in Virgine in quantum ipse ex ea factus est, absque mutatione, id quod sumus; eumque, cum existimaretur in Maria conclusus, ubique ut infinitum fuisse. Et haec superant omnes mentis investigationes: scilicet, quomodo idem conclusus sit dum infinitus, et circumscriptus dum illimitatus? Nec mens capere potest quomodo totus habitaret in utero cum totus esset in mundo. Verbum enim Dei, quod est Virtus Altissimi, habitavit in Maria et conceptum est

in ea et ex ea. Conceptum autem est quia incorporatum; et p. 91. cum incorporatum esset, in sua immutabilitate permansit. *Fieri enim non poterat ut is, qui cum esset factus est, mutaretur ab eo quod est: quod cuicumque tantum creaturae congruit, quae, quia facta est cum non exsisteret, mutatur, dum fit, ab eo quod erat. Ipsum autem Verbum incarnatum in omnibus videtur mirabile quia, cum totum sit ubicumque est, nusquam est per limitem, aut per partes, eo quod naturaliter nullam habet compositionem ut partes existimetur habere, et per aliquam partem cogitetur esse in Patre et per aliam in creaturis. Etenim, aliqua pars eius non est in abyssis, et alia super in terram, et alia in aere, et alia in caelo, et alia in caelis caelorum. Non tanquam corpus magnum alia corpora se minora implet, sed tanquam spiritus subtilis et infinitus qui, omnia implens, nullo mensuratur, et, omnia tenens et complectens, nulli adhaeret. Omnis enim creatura eo plena est, et omnis natura ab eo remota est. Non enim existimatur caput eius esse in caelis caelorum, et pectus eius in firmamento, et partibus eius inferioribus aerem impleri, et latera eius esse in extremis mundi, nec ceteris eius membris terram impleri, nec planta pedum eius in abyssis esse. Ita enim non sentiendum est de magnitudine illius qui ineffabilis est, qui in omnibus simplex et infinitus agnoscitur, qui vere omnis in omnibus est, quia partes quaedam eius non definiuntur dum cetera quae ad ipsum spectant infinita sunt. Quemadmodum enim aliqua pars terrae mensuratur, sed reliqua terra non mensuratur, et paullulum pulveris ex facie terrae appenditur, sed reliquus pulvis non appenditur, et sicut aliquis paullulum aquae e mari metitur p. 92. sed reliquum *abyssi universae sub mensuram non cadit, et aliquis appendit saxum parvum ex monte magno, sed tota montis magnitudo sub pondere non venit, et aliquis parvam partem aeris in vase tenet, sed totus aer liber et diffusus et non conclusus manet: non ita sentiendum est partem aliquam personae Dei Verbi esse finitam et reliquam personam eius manere infinitam, aut partem aliquam eius esse in caelo, et aliam in aere, et aliam in terra, et aliam in abyssis inferioribus, et reliquas in extremis mundi. Ita enim se non habet qui in omnibus est mirabilis, qui agnoscitur simplex, infinitus et illimitatus, qui non patitur ne motum quidem cogitationum aut studium qua-

lecumque. De ipso quidem dicere solemus multa quae in eo non sunt, at rationem exsistentiae eius definire non possumus, sed credimus tantum eum esse sicuti est, in Patre incomprehensibilem, in mundo infinitum, in Virgine ineffabilem; nec unquam cogitamus eum habere partes aut in membris agnosci; sed si in Patre est, totus dicitur esse, totus enim ex eo natus est et totus mansit in persona sua, et totus est in naturis; totus in creaturis agnoscitur, et in elementis virtus eius revelatur, et in mundo operatio eius ostenditur, et in mari imperium eius videtur, et in ventis celeritas eius discitur, et in Virgine totus habitavit!

Haec ergo cogitanda sunt de eo qui exsistit et semper exsistit, qui sine initio et sine fine est; de quo nihil aliud dicere possumus praeter id solum quod exsistit quia genitus, et quod genitus est ab eo qui est. Illum a Patre genitum confitemur quia hoc e Scripturis didicimus, nec *Genitor putatur p. 93.
eum ex parte genuisse, nec ille qui genitus est Filius eius ex parte esse existimatur. Cum autem mulier hominem parit, eum prius in utero portavit, et ille qui in vulva conceptus est nascitur, et in aliquo loco post nativitatem recipitur; non vero ita Pater Filium genuit, nec Filius genitus est; sed natus est totus ex toto, et cum natus est non extrinsecus receptus est aut in loco finito conclusus est. Etenim, corpora et naturae, quibus loca distinguntur, nondum creata erant, nec spatia definita et nota. Rursum, cum voluisset ad Virginem venire, non fuit in Virgine per aliquam partem, et per aliam in essentia, et per aliam in mundo; sed, qui totus in essentia erat, totus etiam personaliter in Virgine habitavit. Itaque, quomodo nos, dic mihi, intellegere possemus eum esse totum in essentia, et totum in mundo, et totum in Virgine, neque tamen in mundo sicut in essentia, nec in Virgine sicut in mundo, sed modo diverso in unoquoque et apud unumquodque eorum? In Patre enim creditur esse ut consubstantialis, et inde agnoscitur esse id quod Genitor eius est; in mundo vero qualiter existimabimus eum esse, nam nulli creaturae est affinis? Iterum, quo modo cogitabimus eum in Virgine habitasse, siquidem haec est mulier sub tempore exsistens, et ipse est Deus et aeternus? Patet enim nullum prorsus horum mente apprehendi posse, sive quomodo totus ubique sit, et totus in Virgine, et totus in es-

p. 94. sentia, sive quomodo in unoquoque *horum sit, cum tamen ab altero non sit remotus?

Quod si existimamus exempla ex naturis inveniri, sicut radium solis qui in sole est et ubique, vel sicut splendorem ignis qui in igne est et circa ignem diffunditur, vel sicut cogitationem mentis quae subito est ubicumque vult nec tamen remota est a mente ex qua oritur, haec exempla non satis ostendere possunt ea quae de eo dicuntur; nam exempla sunt, non autem res ad quas illustrandas assumuntur. Et nemo, si accuratam scientiam comparare vult, illa comprehendere valet, scilicet, solem et eius radium, aut ignem et eius splendorem, aut mentem et eius cogitationem. Et si ab alio interrogatur cur haec ita sint, vel qua ratione, confitetur tantum ea exsistere cum illis quae habent; quomodo autem se habeat unumquodque horum sive quoad suam essentiam, sive quoad ea quae ab ipso procedunt et quibus operationem suam manifestat, non valet exponere. Quod si exempla allata ad ostendendum ea quae Filio competunt vel secundum eius « esse » vel secundum eius « fieri » incomprehensibilia sint, quomodo ille propter quem assumpta sunt comprehenderetur vel cognosceretur mente cuiuslibet creaturae? Ambo ergo pariter abscondita videntur: exempla scilicet ex mundo desumpta, et id propter quod assumuntur, id est, Filius Dei et proprietates eius totaque dispensatio eius in carne. Possumus tantum de rebus voces adhibere et nomina et verba, sicut audivimus, didicimus et accepimus, sive ex Libris Sanctis, sive ex Patribus Doctoribusque, confitentes nos a scientia exacta rerum istarum penitus remotos esse, ne laborem in quo fructus non sit, prosequamur.

p. 95. Scriptum est *Angelum Virgini, cum ei apparuit et annunciavit de reali conceptu Verbi, dixisse [1]: « Spiritus sanctus superveniet in te, et Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei ». Ex quo patet quod Angelus Virtutem Altissimi vocavit Verbum Dei, quod ineffabiliter in Virginem supervenit, et ex ea incarnatum est, hoc est, in ea et ex ea conceptum est. Iterum de eo Paulus ait [2]: « Qui forma Dei est, Iesus Christus, semetipsum exinanivit et formam servi accepit ». Posuit illud « semetip-

[1] Luc., I, 35. — [2] *Philipp.*, II, 6-7.

sum exinanivit et formam servi ... [1] », coegit eum id facere ; nam exinanitionem non vocavit carnis assumptionem, sed illud quod Deus se humiliavit ut carnem humanam assumeret, quam in sua persona manifestavit. Etenim, si Deus non prius se exinanisset quam corpus sumeret, sequeretur eum fecisse nunc quod saepius fecit, quia singulos prophetas, diverso modo, ad id quod sibi placuit assumpsit ; primo, Moysen, deinde Iosue filium Nun, et David, et Eliam, et Eliseum, et Ieremiam, et alios prophetas, et Iohannem Baptistam. Hos omnes, ut scriptum est, Deus assumpsit et segregavit ad munera diversa quae ad salutem nostram spectabant. Ieremiam ab utero sanctificavit et elegit ; Iohannem Baptistam, vix sex menses conceptum, Spiritus sanctus implevit, et Apostolos etiam ante creationem mundi elegit, sicut ipse eis dixit [2] : « Vos mihi electi estis ante mundi constitutionem ». Cum nondum creatus esset mundus noster ex quo electi sunt, ii, qui ex eo eligendi erant, prius segregati erant in mente eius qui eos *ad munus apostolàtus elegit. Illud autem p. 96. « electi erant » nihil aliud significat quam « assumpti erant », ut evidens est ; sed cum Deus eos aliosve elegit, non dictus est se exinanisse aut carnem factum esse ; sed hic, apud Virginem tantum, Paulus dixit eum se exinanisse et formam servi assumpsisse. Servum, evidens est, vocat naturam humanam, et formam servi vocat speciem et habitum et adspectum humanum quae in unoquoque nostrum sunt, quae Christus, Dei forma, sibi sumpsit, cum factus est nobis similis in omnibus praeter peccatum. Nam si hominem prius in Virgine sibi formavisset eumque assumpsisset, sicut Ieremiam aut unum ex aliis istis, nihil in his actionibus mirandum esset. Quod si ab istis differre existimatur quod conceptus et natus sit absque coniugio, ecce, nec Adamus nec Eva coniugio facti sunt ; sed Adamus formatus est de limo terrae, et Eva de costa assumpta est ad vitam ; attamen cum Adamus de terra sumeretur, non scriptum est Deum factum esse hominem, nec, cum Eva ex latere eius sumeretur, ibi dictum est Verbum factum esse carnem. Si haec creatio assumptionem significaret, pro hoc « factus est », illud « as-

[1] Aliquot voces excidisse videntur. Expectes huiusmodi locutionem : Posuit primum illud « seipsum exinanivit » et deinde hoc « formam servi accepit », et res ipsa coegit eum id facere. Cf. p. 77, v. 7-8. — [2] *Ephes.*, I, 4 (cfr. IOHANN., XV, 16).

sumpsit » aperte posuisset. Et licet scriptum sit Adamum Dei manibus formatum esse, ut sic ostenderetur curam de eo maiorem fuisse quam de aliis creaturis, ibi tamen non dictum est Deum factum esse hominem. Ipse enim Deus, ut scriptum est, Adamum formavit et ipse Evam condidit ; et de neutro tamen dicitur eum factum esse carnem. Simili modo neque hic *ita* scribendum erat si Deus hominem assumpsisset, ut sentiunt haeretici, non vero ipse factus esset homo sine mutatione; nam si hominem hic etiam formavit sicut Adamum et Evam et singulos
p. 97. iustos, aliquid solitum fecit, *et id quod factum est non est res admiratione digna, nec Deus exinanitionem propter hoc passus est, nec magna humilitate usus est, nec amor eius pro nobis et propter nos apparuit. Etenim si Deus hominem aliquem sive e coniugio sive absque copula creatum assumpsisset et in eo habitasset, nullum ex his videretur esse exinanitio seu, inquam, humilitas, aut descensio, aut nativitas, aut « fieri », aut incarnatio et inhumanatio.

Hic igitur mysterium novum patratum est, et res mirabilis perfecta est, et Deus aliquid Deo dignum de novo fecit; nam ipse personaliter incarnatus est et inhumanatus, et ille, qui super thronum Virtus est Altissimi, agnitus est ut infantulus in utero. Absque enim coniugio factus est homo perfectus, ex natura nostra, sed supernaturaliter. Nam si infans aliquis in Virgine formatus esset et deinde ut homo ex ea assumptus, hoc non esset exemplum virtutis aut amoris Dei. Uno enim prodigio omnia omnesque naturas incorporeas ex nihilo ad existentiam subito adduxit ; et hoc tamen non potest esse exemplum virtutis Dei, nam, si voluisset, multas mundorum myriades eodem nutu creasset. Rursum, multos ex humano genere assumpsit elegitque : patres, inquam, et iustos, et reges, et sacerdotes, et prophetas ; hoc tamen nec virtutem, nec amorem eius manifestat. Sed virtus eius revelata est per hoc quod cum Deus esset homo fieri potuit, et quod cum factus esset non est immutatus ; amor vero eius agnitus est eo quod ipse factus est pro nobis et propter nos id quod nos sumus, ut propter nos etiam ad mortem veniret, secundum verba quibus ipse amorem Patris nobis ostendit. Ait enim [1] : « Sic Deus dilexit

[1] IOHANN., III, 16.

mundum, ut *Filium suum Unigenitum pro eo daret ». Si au- p. 98. tem eo quod mortuus est pro nobis Filius, apparuit amor, evidenter etiam eo quod factus est *homo ;* nam nisi prius factus esset homo, mori non potuisset; nam Deus, in quantum spiritus est non moritur ; mortuus est autem quia incarnatus est. Primum quidem se exinanivit et deinde incarnatus est ; quare etiam Paulus primum posuit exinanitionem, et deinde formae servi acceptionem, id est, in specie humana apparitionem.

Nonne est prodigium quod ille, qui est inPatre secundum plenitudinem, in Virgine sit per exinanitionem, et sicut in Patre continetur etiam in Virgine concludatur ? Etenim, non licet cogitare in ullis ex his creaturis, quae mediae inter Patrem et Virginem sunt, in Angelis, dico, aut in Archangelis, aut in spiritalibus exercitibus, aut in regionibus intellectualibus aut in naturis omnibus, aut in corporibus visibilibus, aut in mundis visibilibus et sensibilibus, Deum contineri, sed haec omnia in eo contineri; haec enim in eo sunt et per eum moventur et stabiliuntur. Dicitur solummodo in Patre et in Virgine concludi; in Patre propter naturam, in Virgine propter exinanitionem suam; in Patre quia Pater potest eum continere, in Virgine quia voluit ab ea contineri; in Patre propter consubstantialitatem, in Virgine quia ad extremum omnis humilitatis descendit. Et licet utrumque omnino admirandum sit, puto tamen mentes vivas et rei conscias ad admirationem magis moveri eo quod in Virgine conclusus est Filius, quam quod in essentia, quia illud supernaturale est, hoc vero naturale. Quis igitur non obstupescet aut amore et dilectione non replebitur, si *amorem Filii erga nos percipiet ? p. 99. Hic enim amor eum coegit ut pro nobis et propter nos id fieret quod sumus. Totus erat in Virgine sicut totus est in Patre, et hic sicut illic conclusus est. In loco enim angusto et parvo, ubi unusquisque nostrum cum concipitur per novem menses includi solet, Filius Dei voluntarie se conclusit. Et quia factus est in nostram similitudinem, ibi, sicut nos, habitavit : « Impleti sunt dies eius ut pareret [1] ». Sed non scriptum est eum in universum orbem, qui eo plenus est, intrasse antequam ad Virginem veniret et ex ea fieret id quo in creaturas intrare posset. Ipse enim non dicitur in mundum intravisse, quia in eo est; postquam

[1] Luc., II, 6.

autem in utero conceptus est et in eo fuit per novem menses, sicut nos, dicit Paulus eum intravisse, sicut primogenitum, in creaturas: « Cum introducet primogenitum in orbem terrae, adorabunt eum omnes Angeli [1] ». Ille intravit non per partem tantum, nec per voluntatem tantum, sed totus personaliter, et factus est quidquid nos omnes sumus, praeter peccatum: quod neque natura est neque eius creatio. Et Paulus exinanitionem vocavit quod primum ad Virginem venit, et non tantum quod homo ex ea factus est. Apostolus, haec in mente revolvens, cogitavit quomodo ille, qui omnia implet et continet licet nullo contineatur, ad Virginem venerit et in ea habitaverit, non solum voluntarie sed etiam personaliter. Hanc rem miratus, eam vocavit exinanitionem et ad Philippenses, discipulos suos, dixit [2]: « Hoc sentite in vobis quod et in Christo Iesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se
p. 100. aequalem Deo; sed *semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo ». Exinanitio non reputatur quod Filius dicatur in Patre contentus; quia existimatur contineri in eo cui aequalis est secundum essentiam. Personae enim divinae solae possunt se invicem continere; quia nemo Patrem excipere potest nisi Filius, et nemo Filium tenere potest nisi Pater; hae igitur personae tantum se invicem tenent et continent, sed nullo modo ab aliqua creatura contineri possunt, quia creaturae omnes in eis concluduntur et continentur. Nullus enim sinus nullaque natura, praeter naturam Patris solam, excipere potest Verbum Deum, quod est Patri consubstantiale eique aequale in omnibus. Quia voluit se exinanire ut vivificaret et se demittere ut redimeret, alium sinum, Virginis scilicet, sibi petivit, et in eo voluntarie se conclusit. Sinus Patris illud continet secundum naturam, sinus vero Virginis secundum voluntatem eius. Et est vere mirabile omneque verbum exsuperat quod, secundum naturam, etiam Virgo aliique sinus in eo dicuntur esse: quia Deus omnia continet, nullo autem continetur. Nunc propter exinanitionem, ipse personaliter habitavit et conclusus est in Virgine; ita tamen non est conclusus ut non sit etiam ubique ut infinitus. Etenim, secundum personam unus creditur apud utrumque sinum, Patris scilicet

[1] *Hebr.*, I, 6 — [2] *Philipp.*, II, 5-7.

et Virginis, et totus est in utroque, non tamen eodem modo: nam in Patre est propter aequalitatem essentiae, non vero per exinanitionem. Totus in Patre est, non quia se exinanivit, sed quia Pater eum sicut consubstantialem continet: in Virgine vero dicitur totus esse propter hanc *exinanitionem; nam, nisi se voluntarie p. 101. exinanisset, neque Virgo neque creatura ulla eum continere potuisset. Hic vero recte existimatur exinanitio esse, quia ipse per voluntatem adimplevit ea quae sibi naturaliter non conveniunt. Venit enim sub definitione licet infinitus, fuit intra terminos licet illimitatus; conclusus est in utero, licet mundum contineat; uterus eum excepit. licet mundus eum non excipiat; membra eum amplexa sunt, licet naturae eum capere non possint; per portam auris, Angelo nunciante, ut Verbum Patris intravit, licet nulla porta infinitatem eius excipere possit, neque etiam ulla regio vel locus est in quibus non exsistat ut putetur ad ea recenter venire. Deus enim ubique est, quia omnia in eo subsistunt, et totus est ubicunque est, nec mensuratur cum naturis et corporibus, nec in partes dividitur cum unoquoque eorum, sicut aer et aqua et terra quae in eorum receptaculis inveniuntur esse secundum quantitatem; non autem ita Deus, sed in omnibus creaturis, in quibus existimatur esse, totus esse dicitur; et dum aliquam creaturam implet, invenitur etiam in ceteris et totus est in unaquaque earum.

Verumtamen is qui nescit talia audire. quia forsan ne verba quidem christiana adhuc didicit, quae dicta sunt fortasse despiciet et ad verba nostra respondebit: Quomodo conclusus est infinitus, et circumscriptus est illimitatus, et totus est in singulis naturis cum totus ubique esse agnoscatur? Addet forsitan et haec: Quomodo factus est cum exsisteret; quomodo natus cum genitus esset, passus cum *impassibilis sit, mortuus cum immortalis p. 102. sit? Cui respondere decet: nos eo quod confitemur verba quae se invicem destruere videntur, fidem roboramus de eis quae Dei sunt. Hanc enim virtutem fides habet ut possit accipere etiam verba quae secundum auditum contradictoria existimantur, si a Deo dicta sint. Equidem « ita » pro « non » et « non » pro « ita » accipit, si cognoscit Deum ita postulare. Quomodo dicam omne homicidium et adulterium esse peccatum? Nam Osee propheta adulteratus est, et fides adulterium

eius iustitiam reputat, quia verbum Domini ad se implevit [1]. Rursum, in Scriptura legitur [2]: « Phinees ambos una lancea occidit »; et hanc caedem ut quid optimum considerat, quia Phinees zelo, non ira, commotus est, et peccatum a multis commissum per occisionem duorum tantum abstulit.

Hoc igitur modo fides novit accipere id quod est contra factum pro facto, et id quod est pro facto contra factum; et « ita » tanquam « non », et « non » tanquam « ita ». Cavet enim ne a sua regula discedat, quae est difficiliora credere solummodo si a Deo sibi dicta sint. Nam omne Dei verbum ad incrementum fidei datum est, et omnis actio eius, in qua invenitur difficultas, *idcirco facta est* ut per eam menti disciplinam comparemus, scilicet ut mens crescat in fide per ea quae difficilia putantur. Etenim, fides nullum incrementum accipiet si de omnibus rebus et verbis, quae Deus fecit et locutus est, explicationem dare conaretur; crescet autem et progredietur audiendo difficilia et ardua atque verba quae existimantur
p. 103. contradictoria, ut *sunt ea de quibus nunc sermo habetur, nempe: Conclusus est infinitus, circumscriptus est illimitatus; in utero inclusus est qui agnoscitur esse ubique; qui exsistit factus est; formatus est formator, factor conceptus est; plasmator fetuum plasmatus est; genitus natus est; perfectus crevit; completus auctus est; qui neque initium neque finem habet, secundum staturam perfectus est; non deficiens in necessitatibus fuit; plenus se exinanivit; qui ubique est sub loco factus est; qui in mundo erat in mundum venit; qui omnia implet ad terram descendit; non indigens egenus factus est; altus se humiliavit; sublimis se demisit, dives pauper factus est; vetus iuvenis factus est; virtus Altissimi puer facta est; qui est ante tempora sub temporibus factus est; venit quo erat: eo progressus est unde non discesserat; aqua vivens sitivit; panis vivificans esurivit; impassibilis sub passionibus factus est; immortalis mortem expertus est; et quoad unumquodque istorum creditur mansisse absque mutatione id quod est.

Itaque tales voces et verba vitae, quibus doctrina christiana definitur, magnam aptamque fidem requirunt. Quicumque ea audit et accipit agnoscitur esse christianus; qui autem ea cri-

[1] Os., III, 1. — [2] *Num.*, XXV, 8.

minatur et reprehendit eisque contradicere audet, esse extra coetum fidelium invenitur. Etenin, si aliquis dicit hominem creatum esse; eum qui non exsistebat incepisse et factum esse; finitum conclusum esse; eum qui contineri possit circumscriptum esse; limitatum sub limite factum esse; passibilem passum esse; et mortalem mortuum esse: ne minima quidem fides ad haec requiritur. Haec enim aperta sunt scientiae quae unicuique horum suum adscribere solet, infinito tribuens infinitatem, et finito limitem, et ei *qui concludi non potest non esse p. 104. conclusum, et ei qui concludi potest conclusum esse et circumscriptum, et Deo divina, et homini humana, et altissimo excelsa, et humili humilia, et impassibili impassibilitatem, et passibili passionem; et unumquodque horum scientia discernit per iudicium, non quidem per motum fidei sed per investigationem cognitionis. Nam haec est natura scientiae ut sciat ea quae sub cognitonem cadunt; natura vero fidei est ut credat ea quae scientia non intelleguntur. Et nemo scientiam reprehendit cum ipsa sua scire studet; eam vero merito increpat si audet aggredi ea quae sunt incomprehensibilia et invadere limites que fidei assignantur. Et quemadmodum scientiam non reprehendimus cum virtutem et naturam rerum, quae ad eam pertinent, scire cupit, quibus erudiatur, ita nec fides culpanda est si ab investigatione eorum quae sunt incomprehensibilia abstinet et de eis silentium discretionis servat. Quod si mysterium dispensationis Christi verbo scientiae commissum fuisset, haec forsan merito curreret ut intellegeret quod suum esset; quia vero absconditum est, cum nulla mens rationalis sit quae eius secretum scrutari valeat, fidei tradendum est, quae, cum illud acceperit, de eo verbis convenientibus tractare poterit.

## Septimum: Sententia alia.

Non ignorandum est quod doctrina ecclesiastica scientiam rerum mundanarum minime respuit, eam autem prohibet ne ad investiganda secreta et abscondita accedat. *Patet enim ea p. 105. quae sunt scientiae fide non indigere, nec quae sunt fidei scientia comprehendi posse. Sed utraque debet sua cognoscere: scientia ratione naturalia inquirere debet, et fides ea quae sunt supra naturam in silentio tenere. Christus enim mysteria

sua non dedit ut comprehenderentur, sed tantum ut crederentur. Quod si fidei commissa sunt, non licet huic vi eripere depositum quod accepit. Nam si fides cognoscit abscondita quin ea scrutetur, aliquid sibi conveniens facit, quia agnoscit doctrinam quam tenet sub sermonem non cadere, et gloriatur se accepisse id quod, cum examinatur, non intellegitur, et cum investigatur non palpatur, et cum disputatur non explicatur.

Scientia igitur naturalia inquirit: scilicet, virtutes plantarum medicinalium, mixturas ciborum, operationes elementorum, et intellegibilitatem cuiuslibet cognoscibilis, et variarum artium et aliarum rerum quae tum ratione tum experientia discuntur; et etiam mores volucrum, et mores beluarum pecorumque et generum quae sunt in aquis; et pariter cursum siderum et comparationem processus stellarum, quomodo accedunt una ad alteram aut recedunt ab invicem, et computus et aeras quas per eas et ex eis colliguntur; et insuper etiam varias mutationes aeris, et quattuor tempestates quae per adscensum et occasum siderum stabiliuntur et in quibus sementis, et messis, et plantatio, et vindemia, et collectio fructuum aliaque perficiuntur; et quibus de causis sanitas et morbi hominibus contingant; item et virtutes ciborum quibus saepius acquiritur et servatur
p. 106. sanitas corporum, et quo tempore unusquisque **cibus* cum potu sibi convenienti sanitatem restituere possit; rursus, et quomodo quidam morbi et aegritudines tactu, quidam visu, quidam olfactu, quidam experientia, quidam coniecturis scientiae cognoscantur; item, et de generatione hominum, *inquirit* quomodo fetus in uteris delineentur, et membra formentur, et iuncturae colligentur, et nervi extendantur, et corpus humanum sicut vestimentum texatur; et, cum incipit esse, quaenam membra prius formentur et quibus ex causis oriatur tota compages eius; et, postquam corpus formatum est, unde nutriatur, et quomodo olfaciat et respiret. Scrutatur praeterea ea quae in mari sunt moresque eius, et legem beluarum quae in eo vivunt, ex quibus tranquillitas et turbatio maris saepe praesagiuntur; et quomodo nautae per illud navigantes, ex adspectu stellarum et experientia aliarum mutationum aeris, eas cognoscant et praedicant. Et, ut brevius dicam, omnis scientia comprehendere potest ea quae per corpora composita cognoscuntur, et multas species quae in mundo sunt, et commutationem rerum

commercii, et ipsa elementa per quae et ex quibus omnia stabilita sunt, et virtutes calidas et frigidas, siccas et humidas, a quibus stabilitas mundi pendet.

De his vero fides non inquirit, quia persuasum habet ea scientiae convenire; haec tamen invenitur a vero in multis deficere, nec totam veritatem sapientiae in creaturis positam assequi potest; sed etiam in istis fide indiget, per quam credere cogatur id quod non intellexit; et postquam *per experientiam didicit ea, quae putantur cognita, non comprehendi, p. 107. incomprehensibilitatem eorum fidei relinquit. Creator enim tantam sapientiam in operibus posuit ut nulla rationalia, nec fortasse virtutes spiritales, eam comprehendere possint, sicut et propheta quodam loco ad creatorem dixit[1]: « Quam magnificata sunt opera tua, Domine; omnia in sapientia fecisti ». Et in alio psalmo ait[2]: « Confortata est et non potero ad eam ». Quod si in multis quae scientiae congruunt fides necessaria est, quanto magis in suis decet fidem obsecundare, et accipere cum verecundia et timore mysteria incomprehensibilia sibi tradita, eaque tenere non per scientiam, sed in admiratione et stupore. Ea tamen quae sunt fidei debent per scientiam distingui et declarari; et quemadmodum ostendimus vel pauca ex multis quae solent scientia inveniri, ita etiam ostendere debemus, quantum fieri potest, ea quae per fidem servanda sunt.

Hae sunt vero doctrinae quas fides tenet. Confitetur Ens exsistere ingenitum et increatum, Deum et Patrem, et Filium Spiritumque sanctum ex eo esse, unum genitum absque initio et tempore, et alterum ex Ente procedentem ante omnia saecula et initia; eosque esse unam essentiam in tribus personis agnitam et tres personas in una essentia confitendas. De eis autem fides discere non quaerit quomodo natura Patris exsistat cum non facta sit; aut cur Filius et Spiritus, cum ambo ex eo sint, duo filii non existimentur nec ut fratres habeantur, *nec unus altero iunior aut senior dicatur; aut quomodo Filius p. 108. generetur vel quomodo Spiritus procedat; aut utrum Spiritus etiam procedat per illud quo Filius natus est; aut quomodo, cum natura Patris simplex sit, ei tribuantur voces compositae,

[1] *Ps.* CIII (CIV), 24. — [2] *Ps.* CXXXVIII, 6.

et de Patre dicatur quod genuit, et de Spiritu quod ex eo procedit. Praeterea fides non inquirit quantum temporis sit ab exsistentia Dei usque ad creationem creaturarum; aut quot momenta, vel saecula, vel intervalla sint inter id quod Creator non incepit et id quod creaturae inceperunt; aut quomodo primordias naturas ex nihilo creaverit et ex eis etiam omnia quae facta sunt, licet dissimilia, fecerit, condiderit, et ornaverit; aut quomodo e terra iumenta, et beluas, et semina, et herbas, et fructus, et flores, et germina, et arbores, et plantas, et omnia huiusmodi produxerit, et ex aquis diversa genera, quorum alia in eis vivunt, et alia supra faciem terrae per aerem volant; aut quomodo homo, qui dictus est imago Dei propter pulchram suam speciem et mirabilem formationem, cuius descriptio omne verbum superat, ex terra vili et pulvere formatus et constitutus sit.

Itaque haec omnia aliaque per fidem accipiuntur, et ipsa sola doctrinas huiusmodi tenere potest. Quapropter sapientissimus Deus eam constituit ut eis invigilaret easque custodiret. Dicitur etiam Deus primis hominibus per visiones diversas sese revelasse. Quamvis in sua natura unus, per varias similitudines se manifestavit. Eum ita apparuisse docuerunt Libri; quare autem, cum simplex sit et incompositus, huiusmodi similitudinibus
p. 109. se ostenderit, nullum *verbum declarare valet, sed fide tantum hoc accipimus. Ordines vero spiritales superiores qui, cum multi et innumerabiles sint, ab invicem differunt gradibus, et locis, et potestatibus, et etiam speciebus muneris quo funguntur, non possumus in mente figurare, nec dicere cur exsistant Angeli, et Cherubim, et Seraphim, cur etiam sint Sedes, et Dominationes, et Throni, et Potestates, et Virtutes; nec quomodo, cum omnes sint spiritus, ab invicem secundum personam differant; nec *scire possumus* utrum differentia nominum eorum ex naturis an ex diversis muneribus repetenda sit; nec quomodo, cum omnes sint spiritus, alas, et latera, et faciem, et vultum alium ab alio dissimilem, et formam rotae, et formationem compositorum, et linguas laudantes, et ora clamantia habeant; nec quomodo, cum omnes pariter incompositi sint, videant, et audiant, et gustent, et olfaciant, et tangant, et ambulent. Agnoscunturne illae operationes in variis sensibus, an unaquaeque in tota persona? Et si unaquaeque in tota persona sit,

quomodo operationes non confunduntur? Et si sensibus perficiantur, quomodo illud evenire potest, cum non sit locus compositioni? Quomodo sunt loca supra caelum? Cuinam simile est hoc regnum? Quaenam est forma mansionum quae, ut scriptum est [1], in domo Patris paratae sunt? Quo distinguuntur termini et separantur regiones, cum ibi non sint corpora nec composita? Qualia sunt haec venustas et gloria et bona quae ibi diffunduntur? Cuinam similis est regio ad dexteram sita et altera ad sinistram opposita? et gehenna, et tenebrae exteriores, et ignis qui non exstinguitur, et vermis qui non moritur? Quomodo fletus et stridor dentium esse possunt apud personas in quibus differentia *membrorum non agnoscitur? Cuinam similis p. 110. est gloria iustorum, et pulchritudo, et venustas personarum eorum? Quomodo *efficietur* resurrectio et omnis natura reddet eos qui apud ipsam remanserint: terra, eos qui in ipsa corrupti sint; maria et flumina, eos qui in ipsis collecti sint; beluae et volucres et pisces maris, eos quos voraverint; et ignis, illos quos consumpserit? Item, si omnes qui resurrecturi sunt immortales erunt, quaenam differentia erit inter iustos et peccatores, et in quo corpora eorum inter se different? Si iusti luce vestientur, tenebrisne peccatores induentur? Quale est illud convivium, et cuinam similis est mensa illa super quam Iesus dixit [2] discipulos suos secum manducaturos? Et quales cibi super eam apponentur? Qualis est ordo thronorum qui Apostolis dati sunt? Mercedesne inter se different et quomodo? mercedes, inquam, patrum, et prophetarum, et apostolorum, et martyrum, et aliorum ordinum iustorum, quorum, ut videtur, pro diversitate operum etiam diversa retributionis loca esse debent. Quaenam est figura Ierusalem urbis supernae? Quanam materia componitur aedificium eius et aedificium alterius urbis quae vocata est Sion, mons sanctus, et ab Apostolo etiam appellata est [3] « libera mater omnium nostrum »? Cur mons et urbs in regione simplici et spiritali nominata sunt? Quare urbs ibi necessaria fuit, quam etiam moenia solita circumdant, cum ibi nullus sit pavor nullusque timor eorum qui solent oppugnare et in captivitatem abducere? Utrum Ierusalem, quae ibi est, eadem est ac Sion, an *aliud est illa, aliud autem haec? p. 111.

[1] Cf. IOHANN., XIV, 2. — [2] Cf. LUC., XXII, 30. — [3] *Gal.*, IV, 26.

Si duae sunt, quantum distat una ab altera? Num in eis solae virtutes caelestes habitant? Praeterea, cur personae incompositae aliquam urbem requirunt? Et si in diversis regionibus hi ordines habitant, qua ratione putamus fines earum ab invicem dividi? Ubi positum est regnum? Et rursum, ubi est gehenna? Potestne discrimen locorum agnosci in loco simplici et incomposito? Qualis est species lucis quae ibi oritur? Utrum sensibilis an intellectualis tantum? Si intellectualis sit, quomodo oculi in corpore positi per eam videre possunt? Item, quare habitationes iustorum tabernacula nominatae sunt et in alio loco mansiones? Si tabernacula sint, quomodo in aeternum permanebunt? Qualis est Ecclesia illa in qua sunt « primogeniti [1] in caelis conscripti »? Ubi degunt animae iustorum defunctorum? An in Sion? an in Ierusalem? an in urbe quae vocata est Ecclesia primogenitorum? an in Paradiso unde primus homo egressus est? Utrum in monte aedificata est Sion, an ipse mons ita vocatus est?

Omnia haec aliaque huiusmodi in Libris consignata, unde etiam ea didicimus, fides ex auditu accepit, et affirmat tantum ea exsistere, sed eorum rationes non investigat; nec nititur ea, sensibus in corpore positis vel cogitationibus quae per membra excitantur, quae penitiora sunt sensibus et cogitationibus, apprehendere. At, eo quod ea intellegere non valet, eam non pudet exsistentiam istorum accipere. Et, ut brevius dicam, mundus
p. 112. *ille, post hunc revelandus, qui etiam mundus futurus dici solet, penitior est elementis sensibilibus et corporibus corruptibilibus; et omnia quae in eo sunt spiritaliter cognoscuntur, cum ibi non sint corpora, nec res compositae, nec sedes, nec limites quibus regiones dividantur. Cum mundus iste talis sit ut scientia humana intellegi non possit, fides eum, sicuti est, apprehendit.

Et rursum, quid dicemus de signis quae a prophetis et iustis et per Moysen magnum, patrata sunt? Nam et ista per fidem tantum accipi possunt. Quod si, fide seposita, haec per scientiam tantum a nobis examinantur, captum intellectus nostri effugiunt. Quomodo lapis, de monte abscissus, cum portaretur et circumiret cum populo, ubicumque positus fuit, subito aquam

[1] *Hebr.*, XII, 23.

fluere fecit? [1] Quomodo os aridum, quod Samson manu tenebat, aquam continuo salire fecit ex qua ipse bibit? [2] Quomodo rursum manna de aere descendebat? [3] Quomodo columna lucis duas species praeferebat, per unam tenebras Aegyptiis et per alteram lumen Hebraeis? [4] Quomodo rursum naturae contrariae, ignis, inquam, et grando, inter se mixta sunt, nec ignis aqua exstinctus est, nec aqua igne consumpta? [5] Quomodo cinis de camino, in aerem sparsus, tumores, et vesicas, et ulcera super corpora maleficorum erumpere fecit? [6] Item, quomodo caligo, extensis manibus Moysis super terram Aegypti obducta, simul erat et caligo et lumen, obtenebrans Aegyptios et illuminans Hebraeos? [7] Item, quomodo ranae *et locustae et scinifes p. 113. venerunt cum vocatae sunt, et prout iussae sunt recesserunt? [8]

Haec omnia et alias plagas, quae factae sunt, et prodigia quae patrata sunt, alia ad affligendum, alia ad docendum, accipit fides sine dubio et sine investigatione, nec iudicat quomodo facta sint. Nec rursum quaerit scire quomodo virga serpens facta fuerit, et iterum in suam naturam primam subito conversa est; nec quomodo alius serpens, ex aere conflatus, per visum tantum, illos qui ipsum adspicerent sanaverit; qui serpens, secundum verbum Domini nostri [9], in typum crucis eius ibi erectus est, ut, cum serpentes vivi morderent, is qui vita destitutus existimabatur, vitam et sanitatem vulneratis redderet [10]. Quomodo ignis in rubo manebat, et in eo accensus eum non comburebat, et in eius ramis inflammatus eos non destruebat [11]? Et idem erat totus ut ignis et totus ut rubus, quia ignis non foris tantum rubum circumdabat, sed in eo ardebat eumque incendebat, et idem duo esse videbatur, rubus scilicet et flamma. Ita enim Scriptura significat rubum fuisse ut ignem qui cum in eo toto arderet, nec destruebat, nec comburebat, nec vorabat, nec consumebat, et aspectu suo duo videbatur, rubus et flamma; humidus erat ut rubus, et ardebat ut ignis, quemadmodum eadem lux erat caligo et lux, et eadem columna illuminabat et obscurabat, et etiam virga, postquam facta est serpens, videbatur esse et serpens et virga. Non enim foris tantum flamma rubum circumdabat et rubus in ea humi-

[1] Cf. I *Cor.*, x, 4. — [2] *Iud.*, xv, 19. — [3] *Ex.*, xvi. — [4] *Ex.*, xiii, 21-22. — [5] *Ex.*, ix, 24. — [6] *Ex.*, ix, 8-11. — [7] *Ex.*, x, 21-23. — [8] *Ex.*, viii, x. — [9] Cf. Iohann., iii, 14. — [10] *Num.*, xxi, 9. — [11] *Ex.*, iii, 2.

dus videbatur, sicut Ananiae socii in medio igne, sed hic idem
p. 114. *rubus duo esse videbatur, ignis et rubus, quia virens erat et ardens, humidus et incensus, et colorem rubi et adspectum ignis habebat. Sic enim scriptum est [1]: « Videbat Moyses quod ignis in rubo arderet et rubus non combureretur. Et dixit Moyses: Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus ». Et mirabatur Moyses non solum quod videret ignem in rubo manentem, sed quod rubus non combureretur nec viriditas eius mutaretur. Non enim dicitur Moysen vidisse rubum igne circumdatum, sed ignem in rubo arsisse et rubum non combustum fuisse. Quae res non prodigium tantum, sed etiam figura erat; prodigium scilicet secundum visum Moysis, figura autem eorum quae futura erant.

Ut ignem enim in rubo manentem Virgo Deum accepit; et quemadmodum illic ignis in rubo manens duo esse videbatur, ignis et rubus, ita et idem Deus, qui ad Virginem venit et ex ea inhumanatus est, Deus et homo agnitus est. Oculo videbatur homo, intellectui vero Deus. Palpabatur ut homo, et idem intactilis erat ut Deus; totus erat ubique ut Deus, et totus in Virgine ut homo. Conclusus in quantum factus est homo, idem omnino agnoscitur infinitus in quantum Deus permansit, quemadmodum etiam rubus totus lignum erat natura sua et totus ignis per prodigium. Et Moyses videbat rubum duo esse, ignem scilicet et rubum, ardentem nec destructum, inflammatum nec consumptum, visu ignem et natura lignum, virentem et splendentem, humidum et calidum, quia colorem ignis et adspectum rubi habebat, simplicem in quantum videbatur flamma, et ha-
p. 115. bentem *speciem ramorum, foliorum, spinarum et fructuum, quae ex rubo nasci solent. Et Moyses, cum tale prodigium videret, cucurrit ut scriptum est, ut investigaret quare rubus non combureretur; sed continuo vox de rubo ei occurrit quae eum increpuit propter hanc cogitationem: « Ne appropies huc; solve calceamenta tua de pedibus tuis; locus enim in quo stas sanctus est [2] ». Solve a te cogitationes humanas quae, sicut calceamenta, terram calcant, et luto et sordibus polluuntur. Ne venias ad investigandum, sed accedas ad mirandum. Haec enim res prodigium est, haec revelatio ineffabile miraculum. Ne au-

[1] *Ex.*, III, 2-3. — [2] *Ex.*, III, 5.

deas eam investigare, ne eam parvifacias. Omne enim prodigium, quod fit, est supra vires scientiae; et omnis scientia humana incomprehensibilitate prodigii inferior iacet.

Pergamus nunc ad cetera prodigia consideranda. Scriptum est [1] Moysen manum suam sanam in sinum suum misisse eamque exinde lepra infectam exiisse, et cum eam iterum in sinum suum remisisset sanatam esse eodem in loco quo leprosa facta erat. Rursum, iussus est virgam, quam manu tenebat, in terram proiicere; quae statim ac eam proiecit subito conversa est in colubrum. Et cum coram eo timeret, studuit ab eo fugere, sed iussus est caudam eius apprehendere et fortiter tenere; et statim ac eum apprehendit, continuo factus est virga in manu eius, sicut antea erat [2]. Prodigia quidem haec erant, quibus significabantur mysteria futura; eum, qui est sanctus et purus Filius Dei, futurum esse hominem et pollutis et peccatoribus connumerandum, non tamen mutationem passurum in eo quod habet secundum naturam et in quo agnoscitur esse Deus purus et sanctus. *Moyses autem non ausus est de his prodigiis quae- p. 116.
rere, sed ei satis fuit omnia Deo possibilia esse credere. Rursum, aqua facta est sanguis in terra Aegypti, et erat simul aqua et sanguis: aqua Hebraeis et sanguis Aegyptiis [3]; quod prodigium non est scrutandum sed tantum credendum. Facta sunt rursum, in deserto, alia prodigia, quae omnia fidem requirunt. Manna enim, in aere formatum, ex eo, sicut fructus ex arbore, decidebat et descendebat. Unusquisque secundum mensuram, sicut iussus erat, ex eo sumebat; sed postquam collegerant, alius plus, alius minus, etiam in hoc videbatur prodigium quod, cum mensuraretur, qui plus collegerat quam mensuram non habuit amplius, nec qui minus paraverat minus reppeiit. Prodigium etiam erat quod manna, pro omni palato, secundum desiderium manducantis, diverse sapiebat; et etiam quod manna, quod, si per noctem servabatur, computrescebat et vermibus scatebat, cum in arcam iussu Dei descendisset, per multas generationes incorruptum permansit [4]. Prodigium etiam est quod mera virga, quam Moyses habebat, figura crucis erat, et per eam facta sunt omnia prodigia quae scripta sunt. Prodigium etiam est quod lignum siccum, quod Aaron prae-

[1] *Ex.*, IV, 6-7. — [2] *Ex.*, IV, 2-4. — [3] *Ex.*, VII, 19-21. — [4] *Ex.*, XVI, 14 sqq.

buit cum ceteris tribuum principibus, in tabernaculo cum aliis virgis coram Domino positum, solum folia protulit et amygdalas dedit [1]. Prodigium et illud, in tabernaculo factum, quod ignis vehemens, ex tabernaculo exiens, corpora devoravit, sed vasa, et tabernaculum unde exibat, servavit [2]. Prodigium etiam illud p. 117. *quod aquae amarae Mara dulces factae sunt per lignum in ipsas immissum [3].

Facta sunt vero alia prodigia per ceteros prophetas. Iordanis enim ante faciem arcae conversus est retrorsum, et cum aquae descendentes defecerint et perierint, aquae superiores incrementum non acceperunt, sed, cum fluere destiterint, intra primos suos fines manserunt [4]; sicque illud evenit quod apud manna, cum mensuraretur, factum est. Rursum, muri Iericho clangore tubae corruerunt [5]. Prodigium etiam est hoc prioribus non minus: rogavit Gideon ut ros in vellus tantum descenderet, et prodigium factum est sicut petierat; rursus, ut super terram totam praeter vellus descenderet, et etiam in hoc exauditus est, et in utroque casu duplex prodigium factum est [6]. Rursum, prodigium fuit vita Samson nazaraei. Quamdiu enim novacula super caput eius non descendit, ingenti robore praeditus fuit; cum autem rasi essent crines eius, continuo debilis et infirmus factus est; et iterum, cum inceperent crescere, auctum est robur eius. Vere enim mirabile est quod tantum robur crinibus infirmis iungeretur [7]. Prodigium rursus quod lignum leve submersum est dum ferrum grave ex profundo adscenderet [8]; et rursum, quod Ionas in ventre piscis et profundo maris tres dies mansit [9]: quod signum etiam verbo Redemptoris nostri [10] appellatum est. Prodigium rursus, quod flumen Iordanis Eliae pallio bis divisum est [11], et etiam quod hydria farinam et lecythus oleum per totum famis tempus suppeditavit [12]. Prodigium etiam illud quod aquae, sale in fontem ab Eliseo immisso, sanatae sunt et ab eis ablatum est maledictum quod Iosue filius Nun p. 118. adversus eas locutus erat [13]. *Prodigium etiam hoc quod multi viri ex paucis panibus et frumento novo comederunt, et super-

[1] *Num.* XVII, 1-8. — [2] Cf. *Num.*, XVI, 35. — [3] *Ex.*, XV, 25. — [4] Ios., III, 16. — [5] Ios., VI, 20. — [6] *Iud.*, VI, 36-40. — [7] *Iud.*, XVI, 17-24. — [8] IV *Reg.*, VI, 6-7. — [9] Ion., II, 1. — [10] Matth., XII, 39. — [11] IV *Reg.*, II, 8, 14. — [12] III *Reg.*, XVII, 14. — [13] IV *Reg.*, II, 21; cf. Ios., VI.

fuit [1]; et hoc etiam quod aqua in oleum conversa est per guttulam parvam ex hydria Eliae in ea immissam. Haec aliaque prodigia multa, a prophetis patrata, licet difficilia existimentur, accipit fides sine dubio. Cum eis alia a Domino nostro et apostolis effecta esse scriptum est.

Quid vero de mysteriis, quae in Ecclesia peraguntur, sermo dicere potest? Haec quidem, oculo res simplices apparent, sed per obumbrationem Spiritus sancti virtutem supernaturalem accipiunt. Aqua enim fit uterus qui homines pro corporalibus spiritales reddit; oleum virtutem sanctificatricem accipit quae animam et corpus simul ungit et sanctificat; panis et vinum fiunt corpus et sanguis Dei inhumanati. Qui in illis baptizatur et ex his nutritur est homo denuo creatus, qui et factus est per prodigium ex vetere novus. Quis potest has mirabiles mutationes oculis corporis videre, vel quis potest de eis, sicut decet, tractare? Baptizandus enim, brevi tempore quo in aquam descendit, per invocationem Patris et Filii et Spiritus sancti denuo nascitur, et, vetere homine exuto, renovatur, et denuo fit homo novus secundum similitudinem Adami caelestis, qui idcirco inhumanatus est et natus ex Virgine ut nos per baptismum, matrem secundam, filios novos Deo Patri denuo procrearet. Brevi enim tempore quo, ut dixi, homo in hoc utero concipitur et nascitur, *peccata dimittuntur, debita solvuntur, delicta delentur, p. 119. corpus mundatur, anima sanctificatur, et qui baptizatur, archetypi vivens imago fit, exuendo a se vestimentum vetus, quo peccati causa indutus erat, et aliud novum ex aqua et Spiritu contextum induendo. Ille enim, metaphorice, sine dolore resecatur sicut membrum ex corpore vetere, et vivo corpori Christi coniungitur, et fit quasi per miraculum ex profano sanctus, ex polluto mundus, e peccatore iustus, ex iniquo rectus, ex inimico membrum, ex alieno familiaris, e provocante ad iram pacificus, e servo rebelli filius dilectus, ex exsule haeres, ex osore amicus, e terreno caelestis, e corporali spiritalis, e vago domesticus, ex incola terrae civis caelorum, e servo libertus, e filio Adami filius Patris, et ex exherede frater Christi.

Tales quidem mutationes mirabiles, tempore quo ministratur baptismus, apud baptizatum modo mirabili fiunt. Et licet nulla

[1] IV *Reg.*, IV, 42-44.

harum oculo corporis videatur aut manu carnali palpetur, omnes ut res exactas et veras fides accipit. Haec omnia fidei vivae magis comperta sunt quam corporalia sensibus corporis. Mysterium enim secundae nostrae nativitatis mirabile est et inexplicabile, quia nemo intellegere aut scrutari aut dicere valet quomodo natura humana ex Deo per baptismum denuo nascatur et servi rebelles filii dilecti Regis caelestis fiant. Haec miratus p. 120. Iohannes evangelista *scribit et dicit: « Quotquot receperunt eum et crediderunt in Verbum incarnatum, dedit eis potestatem filios Dei fieri »; et, ut ostendat unde, addit: « qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt », id est, ex Patre, quia Filius eius caro factus est: « Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis [1] ». Evangelista enim duas nativitates iuxtaposuit: unam hominum, quae denuo fit per baptismum, alteram Verbi, quae in carne ex Virgine facta est; et docuit causam nativitatis nostrae ex Deo et Patre per baptismum, in hoc reponendam esse quod Verbum carni et sanguini participavit, et per exinanitionem filius mulieris factum est. Sed nos ex filiis hominum filii Dei facti sumus, et ex corporalibus spiritales; ille autem sine mutatione ex Deo factus est homo, et ex spiritu et simplici corporeus et corporalis. Et utramque nativitatem posuit ut una alterius esset argumentum, ita ut homo, si quaerere velit quomodo Deus ex muliere homo natus sit, discat ex altera nativitate, iuxta hanc posita, quomodo unusquisque nostrum, dum est homo per naturam, per baptismum filius Dei nascatur; utque quod homo corporalis natus est spiritalis ex aqua et Spiritu, sit argumentum inexplicabile quod Verbum natum est caro ex Virgine.

Etenim, secundum nativitatem essentialem Verbum est Deus natura sua; per suam autem voluntatem, quia ad mensuram nostram descendit, homo est. Et causa qua nos per baptismum filii Dei nascimur fuit incarnatio Dei eiusque nativitas ex Virgine. Etenim, nisi ille prius natus esset, impossibile fuisset nos hac secunda nativitate dignos effici. Nativitas quidem nostra p. 121. spiritalis ex corporali nativitate *eius sumitur, et donum nobis concessum ab exinanitione eius pro nobis provenit, et reno-

[1] IOHANN., I, 12, 13, 14.

vatio nostra per eius « fieri » stabilita est. Nisi enim ille factus esset et iterum natus, nos non potuissemus denuo fieri nec nasci; et nisi ille incarnatus esset, nunquam potuissemus spiritales fieri. Omnia enim bona nostra ex humiliationibus eius, quibus nihil aequale est, sumuntur: spiritalitas nostra ex corporalitate eius, exaltatio nostra ex humiliatione eius, libertas nostra ex eo quod ipse formam servi assumpsit, nova nostra creatio ex secunda eius nativitate, divitiae nostrae ex paupertate eius, plenitudo nostra ex eius indigentia, satietas nostra ex eius fame, abundantia nostra ex necessitatibus eius, impassibilitas nostra ex passionibus eius, et vita nostra vera ex morte eius. Quod si intellegere non valemus quomodo haec omnia per nativitatem secundam acceperimus, quomodo apprehendere possemus quae nostra sunt eius facta esse per inhumanationem eius ex nobis? Et si quae his minora existimantur difficile est declarare, quomodo haec, quae infinite illis maiora sunt, explicari possent? Si donum quod apud homines peractum est invenitur supernaturale, quomodo illud quod in Deo factum est non esset mirabile et supra captum intellectus? Si nemo intellegere valet quomodo persona cuiuslibet hominis de novo formetur et renovetur in fornace baptismi, nulla sane mens percipere potest quomodo Deus factus sit homo ex Virgine, ut in se denuo totam naturam humanam crearet? « Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis [1] ».

Itaque duae nativitates, una Verbi ex Virgine, altera nostri ex baptismo, fidei tradendae sunt, quia utraque pariter omnem investigationem *et scrutationem effugit. Cum enim scire non p. 122.
valeamus quomodo ex aqua et Spiritu filii Dei fiamus, hoc autem credamus ita factum esse; et pariter, licet non intellegamus modum quo Deus filius mulieris factus sit, hoc nobis credendum est quia nihil Deo difficile est. Impossibile enim est nos hanc nostram spiritalem nativitatem, quae facta est per baptismum, intellegere, sicut et hanc corporalem nativitatem Dei, quae facta est ex Virgine; sed utramque cum adoratione et fide tenere debemus.

Quod Verbum caro factum sit, addemus etiam aliud exemplum, quod per nos et apud nos, quoad sancta mysteria, cotidie

[1] *Eph.*, II, 10.

perficitur. Elementa enim communia panis et vini super altare sanctum de more ponuntur; sed Spiritus, cum super ea descendit, quemadmodum etiam illuc ad Virginem venit, ambo facit corpus et sanguinem illius qui inhumanatus est; et dum ibi Spiritus Verbum corpore induit et corpus manifestavit, hic panem et vinum facit corpus et sanguinem Verbi, ut haec in nobis efficere possint quaecumque corpus ipsius efficiebat; nam quicumque huc ad corpus eius cum fide accederet, virtutem ex eo, quantum indiget, acciperet. Attamen, quoad haec mysteria, si rogemur, dicere non possumus quomodo panis corpus fiat, et vinum sanguis, sed confitemur tantum quod fiunt, et de modo quo fiunt tacemus. Si quis velit haec per scientiam scrutari, audiat a nobis ea incomprehensibilia esse; quia modus quo res huiusmodi fiunt Deo Creatori tantum compertus est; apud nos autem debet crescere fides, quae nobis per gratiam data est ut eius ope totam doctrinam de mysteriis, quae apud nos sunt, p. 123. teneamus. Scientia vero eorum, *cum supernaturalis sit, factori, ut dixi, tribuenda est, quia iustum est et congruum scientiam rerum huiusmodi illi ad quem pertinent relinqui.

Si autem ille cui credere contemptibile videtur et qui cupit scientiam exactam de re inhumanationis habere dicat: Nisi prius cognoverim id cui crediturus sum, non potero illud simpliciter accipere, ne pro fideli nesciens habear; huic respondeamus et dicamus: Ex eis quae putas te tenere, discere debes ea quibus fidem denegas accipere. Etenim, si quis Iudaeus vel paganus ad te accederet, et, cupiens a te discere mysteria quae in Ecclesia celebrantur, diceret: Quomodo possibile sit aquam fieri uterum nativitatis secundae hominibus, et oleum virtutem, et panem corpus, et vinum sanguinem, et eum qui in illo baptizatur et ex his nutritur existimari filium Dei, et ex corporali spiritalem fieri, nullum clarum exemplum adesset quo eum de istis persuasum faceres, sed puto te ei dicturum: Fide tantum talia homo tenere debet et certum habere quod Deus omnia facile facere possit. Et si studet eis investigandis postquam a te audivit Deum esse qui talia fecerit, tunc existimo eum non tantum tibi despiciendum ut infidelem, sed etiam ut stultum et ignorantem tibi habendum, quia non potuerit discernere et intellegere quod, si Deus sit qui ea fecerit, ipse non debet de illis rebus litem movere, nec Deo

dicere: Quomodo haec fieri potuerint? Quod si *mente nostra apprehendi non possint, hac de causa non licet ei qui credit sentire ea facta non esse. p. 124.

Ecce enim, si forte quis paganus vel Iudaeus adsit tempore quo baptizandi ad catechesim conveniunt et videat ea quae apud illos peraguntur: scilicet, eos super stragulam pilosam nudis pedibus stantes, tunicam eis detrahi, exorcismum super eos voce et clamore valido factum, eos exsufflantes et increpantes diabolum e cuius potestate erepti sunt, et accipientes singillatim signum crucis in fronte; et si animadvertat etiam ea quae post haec peraguntur, id est, unumquemque eorum oleo sancto ungi, ter in aquam immergi in nominibus adorandis, et, postquam adscendit, etiam oleo, quod chrisma vocatur, signari, et vestibus albis et splendidis indui, et cum lampadibus et psalmis in honore deduci, tu, ut opinor, si vere doctus eris, eum docebis quid quodlibet horum significet, et quid unusquisque horum ex eo quod erat, fiat; quomodo autem et qua ratione hoc fiat, et quare oculus corporis non videat id quod fit, scilicet, eum factum esse filium Dei, et spiritalem e corporali, hominem novum e vetere, liberum e servo, caelestem e terreno, et membrum Christi e membro Adami, atque mysterium quod suscepturus est, non esse, ut videtur, panem et vinum, sed corpus et sanguinem Dei, tu eum, ut puto, monebis ut talia fide tantum accipiat, quia non possunt videri, nec tu ea manifestare vales, nec ipse ea percipere. Quod si adversus te contendet, dicens: « Illa, quae tu vocas corpus et sanguinem, *mihi p. 125. panis et vinum videntur, et utrumque horum elementorum mihi videtur esse id quod est per naturam, et qui baptizatus adscendit idem quam antea videtur esse etiam post », quibus verbis aut argumentis scientiae contentionem eius placabis vel illum persuasum habebis ut ea, quae dixisti, accipiat? Nonne eum monebis ut credat tantum, nec talia oculis corporis videre cupiat, quia spiritalia et penitiora sensibus corporis sunt, et ei adduces tantum pro argumento potentiam et virtutem Dei, cui, quia omnipotens est, omnia facilia sunt? Si Iudaeus erit iste, eum docebis non dubitare eo quod Deus primas naturas ex nihilo creavit et ex eis mundum hunc visibilem fecit et formavit et ornavit, et etiam e signis diversis quae a prophetis patrata sunt; sin autem paganus, illum persuasum facies per

doctrinam quam tenet de deo quem colit, quia etiam quivis paganus putat eum, quem ut deum habet, esse fortem et omnia facere posse. Nonne igitur rectum est te ea, quae paganum et Iudaeum docuisti, tibi ipsi proponere, et credere Deum factum esse hominem et tamen suum « esse » divinum non amisisse, ne forte tu quoque si contenderis, cum illo qui Iudaeos antiquos redarguit, audias: « Qui alios doces, teipsum non doces [1] ». Praeterea, ne doceas eum credere quod corpus in pane et sanguis in vino abscondita sunt et homo novus in vetere habitat, sed urgeas ut credat panem, qui videtur, esse corpus,
p. 126. et vinum, quod gustatur, esse sanguinem, et *illum, qui immergitur et adscendit, esse hominem novum. A te cogetur ut falsos habere gustum et visum, et reiicere testimonium sensuum externorum, et credere huic alii operationi quae in sensibus hominis novi invenitur, ita ut loco panis, corpus gustet, et loco vini, sanguinem, et pro notione eius quod antea erat, videat et agnoscat id quod factum est recenter, scilicet iam non hominem terrenum sed novum hunc caelestem in eo agnoscendum. Neque sinas eum opinari, sicut animam in corpore, ita hominem novum in vetere, et absconditum in revelato, et spiritalem in corporali habitare, aut corpus in pane abscondi et sanguinem in vino occultari, etiam si mens eius paullum quietis inde acciperet, eo quod facilius existimatur audire spiritale in aliquo visibili et absconditum in revelato habitare quam corporale dici etiam spiritale et revelatum dici absconditum, id est, panem dici corpus, et vinum dici sanguinem, et oleum virtutem et aquam baptismum, et hominem veterem hominem novum.

Haec igitur, quae de baptismo et sanctis mysteriis dicta sunt, sint tibi argumentum pro illis: Plenus semetipsum exinanivit, infinitus conclusus est, qui exsistit factus est, et genitus natus est. Causa enim rerum harum omnium est dispensatio in carne. Etenim, quia Filius ex Matre virgine natus est, nos ex Patre aeterno nati sumus; quia ipse pauperem se fecit, nos divites facti sumus; et quia in utero carnali habitavit, nos ex utero spiritali, id est, ex baptismo, nati sumus. Et propterea quod
p. 127. alios rogasti ut mysteria confiterentur, nos te rogamus *ut causae

[1] *Rom.*, II, 21.

mysteriorum credas dicasque nobiscum: Verbum incarnatum est, sed in carnem non conversum est; Deus inhumanatus est sed non immutatus est; plenus semetipsum exinanivit et in sua plenitudine permansit; altissimus se demisit et in sua altitudine perstitit; qui ubique est conclusus est in utero et suam infinitatem non amisit; quem totus mundus capere non potest, in loco parvo et angusto inclusus est et ibi non est circumscriptus; natura enim eius conclusa non est in aliquo se maiori, ut hoc ei ex infirmitate putetur accidisse, quia nulla virtus fortior est virtute eius nullaque natura latior est essentia eius. In eo enim continentur omnia quae facta sunt: saecula, et opera, et creaturae; et omnia quae sub limitibus iacent in infinito concluduntur. Ipse autem, cum voluit se exinanire, in Virgine conclusus est; et quemadmodum plenus in sua exinanitione permansit, ita et infinitus perstitit in loco ubi conclusus est, quia Virgo non potuit eum continere. Sed ipse facere potuit ut, dum omnia impleret ut infinitus, caro fieret et in Virgine concluderetur, et agnosceretur duo esse, infinitus et conclusus, omnia implens et in utero contentus. Etenim, quemadmodum prodigium est quod finitum non concludatur, ita etiam quod infinitus contineatur mirabile est.

Finitum non potest esse infinitum, quia semel decretum est ut finitum remaneat; infinitus vero, cum non sit factus nec creatus sed Deus omnipotens, per incarnationem finitus fieri potuit, quia in quacumque operatione nulli necessitati subiicitur, sed semper et in qualibet re liber est. Et de illo, qui talis agnitus est, credendum est voluntatem aut naturam eius nullo modo impediri quominus placitum suum sequatur; non est enim in eo aliquid contra aliud divisum, sicut corpus contra animam, *vel mala contra bonam cogitationem, sed credimus quod, quem- p. 128.
admodum in utero habitavit dum ubique et in qualibet re esset, et ad terram descendit licet caeli eum non contineant, ita et factus est homo sed « esse » divinum non perdidit, et passiones expertus est, sed non amisit id quo impassibilis agnoscitur, et mortem, sed non reliquit illud quo naturaliter vivens et largitor vitae est. Sanctus enim Paulus, ut opinor, exinanitionem vocavit eius in uterum adventum; nam dixit: « Semetipsum exinanivit »; et deinde subiunxit: « formam servi accipiens et habitu inventus ut homo ». Inde quidem agnita

est exinanitio quod, qui omnia implet et nullo conclusus est, habitavit in Virgine, quae potuit eum excipere, et in ea conclusus est dum infinitus, et in ea circumscriptus est dum ubique erat; et parvus sinus uteri eum, quia voluit, excepit, licet, in quantum infinitus agnoscitur, sinus ingens totius creationis eum excipere non valeat.

Excelsa igitur, quae de Christo confitemur, ad naturam eius pertinere manifestum est; humilia autem ad voluntatem. Et quia natura voluntatem eius cohibere prorsus nescit, nulla enim contrarietas in eo est, ut dixi, nec ulla exinde orta est, natura voluntati eius obedivit et semetipsum exinanivit eo quod ad Virginem venit. Et quia voluntas nullam vim naturae eius intulit, infinitus remansit ubi existimatus est conclusus, quemadmodum, in quantum infinitus est, agnitus est conclusus, et, in quantum conclusus fuit, mansit id quod secundum naturam creditur, infinitus. Quapropter Paulus, a Christo ipso edoctus, primum posuit exinanitionem, et postea eum incarnatum esse subiunxit. Ita igitur locutus est [1]: « Hoc ergo sentite in vobis quod et in Christo Iesu; qui, cum in forma Dei esset, non
p. 129. rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; *sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ». Per ea, quae ibi posuit, docuit eum tunc se exinanisse cum formam servi in se acciperet; nam patet eum, antequam illam acceperit, in sua plenitudine et supra omnem exinanitionis modum fuisse. Iohannes vero, pro illis: « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens », posuit haec: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis ». Itaque requiritur ut exinanitionem firmiter mente primum teneamus, et postea sermonem de ea instituamus, et sciamus etiam eum ideo se exinanisse ut fieret *homo,* eumque formam servi non in alio sed in sua propria persona accepisse, quam formam accepit cum caro factus est, sicut Iohannes dixit. Modum enim assumptionis ostendit Iohannes dicendo « factum est ». Nam docuit Verbum non alium hominem, in quo forma servi agnita est, creasse et assumpsisse, sed ipsum, eo quod factum est, formam servi in se accepisse, quia nobis per

[1] *Philipp.*, II, 5-8.

omnia praeter peccatum assimilatum est, sicut dixit Apostolus. Quod si recenter nobis assimilatum est, patet ipsum antea non nobis, sed Patri tantum, simile fuisse.

Ita igitur verbum fidei ubique proclamat plenum se exinanisse, infinitum conclusum esse, illimitatum circumscriptum esse, qui contineri non potest contentum esse, qui excipi non potest exceptum esse, qui apprehendi nequit apprehensum esse, qui retineri non potest retentum esse, invisibilem visum esse, intactilem palpatum esse, incorporeum incorporatum esse, qui non est corporalis corpus factum esse, qui non est carnalis incarnatum esse, et Deum inhumanatum esse; et in unoquoque horum intelligendum est eum sicuti erat permansisse. Non enim, sicut adversarii dicunt, incorporeus in corporeo *habitavit, nec Ver- p. 130. bum in carne alius, nec Deus in homine, nec infinitus in finito, nec invisibilis in visibili, nec impassibilis in passibili, nec immortalis in eo qui mortuus est. Etenim, Deus videtur hoc modo in multis fuisse: in prophetis, inquam, et patribus, et omnibus iustis; cum naturaliter essent id quod agnoscebantur, Deus propter iustitiam et electionem in eis habitabat; et qui inhabitabatur agnoscebatur homo, qui vero in eo inhabitabat, Deus. Et idcirco etiam templa vocati sunt Dei omnes theophori, quia scriptum est Deum in eis habitavisse et ambulavisse. Non autem ita se habet res inhumanationis, sed quemadmodum superius in sermone de mysteriis sacris ostendimus, quem sermonem rogo ut in memoriam nunc redigas sicque intellegas cur exsistentiae mysteriorum horum quae sumis, credas, et quid sis et qualis tu qui sumis ea. Quemadmodum enim de istis mysteriis ostendimus corpus in pane non abscondi, sed panem, qui videtur, esse corpus; nec sanguinem in vino esse, sed vinum esse sanguinem; nec alium, qui iuvenis factus est, in sene habitare, aut recens in vetere, sed eum, qui existimatur senex et antiquus dierum, eumdem esse qui iuvenis et novus factus est, ita non est sentiendum Verbum Deum, post inhumanationem suam, esse alium in alio habitantem, id est, infinitum in finito, non exinanitum in exinanito, illimitatum in limitato, eum qui ubique est in eo qui secundum locum concluditur, Deum in homine, spiritalem in corporali, Verbum in puero.

Non est credendum rem inhumanationis ita se habere quasi alius in alio agnoscatur; nec sentiendum est Christum *duas p. 131.

naturas indistinctas esse, sicut quibusdam placuit dicere; nec eum, qui unus est secundum essentiam, numerum accepisse secundum incorporationem. Corporalitatem enim ex incarnatione habuit, sed dualitas ad unitatem eius non accessit. Et si ita credere decet, iam Deus est homo, et Verbum caro, et spiritus corpus, et qui ubique est in loco factus est, et invisibilis visus fuit, et qui Patri est consubstantialis, per incarnationem consubstantialis nobis factus est. Et quemadmodum panis et vinum non per mutationem fiunt corpus et sanguis, nec oleum virtus, nec aqua uterus spiritalis, nec homo vetus homo novus, sed per unionem cum Spiritu obtinuerunt virtutem illam quam credimus; ita et Deus Verbum factus est caro et inhumanatus est, non per mutationem, sed quia participavit carni et sanguini nostro et divinitatem suam humanitati, sicut odorem lilio, univit. Et quemadmodum homo vetus, cum ex baptismo nascitur, non per mutationem novus fit, sed per virtutem et prodigium, accipiendo effectum operationis quae eum talem e Spiritu sancto exhibet; ita et Deus, qui pro nobis et propter nos homo factus est, incarnatus est et conceptus per Spiritum sanctum et ex Maria virgine, sicut evangelista et angeli dixerunt, agnitus est Deus cum videretur homo, et existimatus est homo cum crederetur Deus. Et qui oculis corporis ut homo apparuit, oculo fidei agnitus est Deus; et omnino utrumque simul est; et si appellatur Deus, non seiungenda est caro; et si dicitur homo, non excludenda est divinitas; sed recte confitendus est Deus homo propter inhumanationem et homo Deus
p. 132. propter deificationem, quia inhumanationem ex nobis *accepit, et nos ex eo deificationem in ipso accepimus. Causa inhumanationis eius fuit ut nos in eo deificaremur et per virtutem simus filii et dii. Et ipse factus est consubstantialis nobis secundum carnem per inhumanationem, sicut et nos per Spiritum facti sumus ei similes; ita ut quod est naturae fieret gratiae, et quod est gratiae naturae imponeretur. Nec ipse mutatus est cum factus est sicut nos, nec confusio nobis accidit cum in nobis sigillum similitudinis eius accepimus.

Veruntamen cum res omnis, quae difficilis existimatur, exemplo aliquo illustrari soleat, sumat quicumque cupit doctrinam de eis quae dicta sunt sibi comparare exemplum illud quod saepe adhibuimus: scilicet hominem veterem qui fit novus in

LIBRARY

baptismo, qui etiam denuo concipitur et nascitur ex aqna et Spiritu, sicut et Verbum Deus incarnatum est et inhumanatum ex Virgine per Spiritum; et hominem naturalem qui per virtutem Spiritus fit ex vetere novus, et ex corporali spiritalis, et cum membrum Adami fuerit, corpus Christi reputatur; sed postquam factus est non agnitus est duo esse quoad id quod factus est, nec mutatio ei accidit. Eum non esse duo ostendit illud quod unus est postea sicut antea; et eum mutatum non esse demonstrant adspectus eius et tactus eius et alia naturalia quae habet. Cum autem res inhumanationis et mysterium unionis subtilia sint nec possint mente humana, sicut decet, videri, prodigium enim quod factum est intellectum omnium rationalium revera transcendit, qui discendi cupidus est innitatur, quantum possibile est, exemplo allato. Etenim, quemadmodum eum, qui nascitur ex *baptismo, novum et veterem reputat, eumdemque p. 133. spiritalem et corporalem, filium Dei et filium hominis, membrum Adami et Christi, nec putat se in ullo horum decipi, nec opinatur corporalitatem baptizati in spiritalitate absorptam esse aut spiritalitatem eius in corporalitatem mutatam esse; ita et cogitare debet Christum, hominem mirabilem, postquam ad Virginem descendit, sicut homo naturalis ad baptismum, et homo ex ea factus est sine mutatione, et conceptus est in ea et ex ea, et in mundum intravit ut Deus incarnatus, eumdem totum esse ubicumque in Scriptura nominatur, sive vocetur Verbum, sive caro, sive Deus, sive homo, sive unigenitus, sive primogenitus, sive pastor, sive agnus, sive via, sive ianua, sive aedificator, sive lapis angularis, sive filius Dei, sive filius David, sive aequalis Patri, sive minor Patre. Et quemadmodum in homine qui ex baptismo nascitur, licet in eo inveniatur diversitas nominum, haec nomina tamen non tribuuntur duabus naturis, sed denotant eumdem hominem qui vocatur novus et vetus, spiritalis et corporalis, filius Dei et filius hominis, et quod unus sit apud has diversas appellationes dicitur accepisse ex archetypo suo, id est, Christo; ita et Christus, qui quae habet ex Virgine omnibus ex baptismo natis alio modo concessit, iisdem nominibus appellatus est, etiamsi unus agnoscatur quoad unumquodque eorum, Deus, inquam, et homo, Verbum et caro, ex essentia et filius humanitatis, filius Dei et filius David, et totus, non autem *duplex nec numerabilis, in unoquoque horum. p. 134.

Scire tamen oportet multas esse differentias inter ea quae de Filio ex Virgine nato, et ea quae de homine qui ex baptismo nascitur dicta sunt. Etenim, Filius Dei ex Deo factus est homo, et ex Spiritu caro, et ex Verbo corpus, et ex abscondito revelatus, et ex invisibili visibilis, et ex intactili tactilis, et ex alto humilis, et ex pleno exinanitus, et ex divite pauper, et ex provisore egenus, et ex eo quod omnia implet conclusus, et ex forma Dei forma servi, et ex pastore agnus, et ex aequali Patri minor Patre et nobiscum connumeratus, et ex impassibili passionibus obnoxius, et ex immortali mortem expertus. Non ita homo qui ex baptismo nascitur; sed ex servo fit liber, et ex corporali spiritalis, et ex filio Adami filius Dei, et ex terreno caelestis, et ex paupere dives, et ex passionibus subdito impassibilis, et ex mortali immortalis et incorruptibilis, et omnia alia quae ex ordine post cetera enunciata, sequuntur. Et quemadmodum homo, postquam haec abscondita accepit, in natura sua visibili perstitit, ita et Deus, postquam a nobis id assumpsit quo revelaretur et visibilis fieret nobis similis, in nostris est secundum invisibilitatem essentiae suae, et in naturalibus, quae habet, permansit. Et postquam in similitudinem nostram absque mutatione factus est, ipse est absconditus et revelatus, homo et Deus, forma Dei et forma servi, visibilis et invisibilis, sensibilis et spiritalis. Sed Deus ab intra
p. 135. exivit et *ad extra manifestatus est, homo autem ab extra ingressus est et ad intra apparuit. Exivit enim Deus ad hominem et visus est id quod est homo; homo autem ingressus est ad Deum et visus est id quod est Deus. Dominus factus est in similitudinem servi, et servum libertum fecit; et quidem cum libertate eius apparuit revelatio servitutis eius et cum servitute eius absconsio libertatis eius. Nam cum formam servi accepit vocatus est servus: « Ecce servus meus in quo mihi complacui [1] »: sed etiam in servitute sua agnitus est ut Dominus, quia, post revelationem suam, non creditus est in duabus formis esse. Factus est enim servus cum esset Dominus, et in altitudine libertatis suae absque mutatione permansit. Haec contemplans Paulus dixit [2]: « Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus ». Item Isaias

[1] Is., XLII, 1. — [2] *Philipp.*, II, 7.

de eo dixit[1]: « Ecce servus meus in quo mihi complacui, dilectus meus in quo delectata est anima mea »; sicque servum vocavit non alium, sed ipsum Filium liberum quem Pater in Iordane testatus est esse Filium suum dilectum[2]: « Ecce Filius meus dilectus in quo mihi complacui ». Eum, qui videbatur homo, et baptizatus est sicut unus ex peccatoribus, praedicavit et declaravit Pater esse Filium suum dilectum, et Isaias eumdem appellavit servum et dilectum; quia eum vocavit servum, docuit eum inhumanatum esse et formam servi in se sumpsisse; quia vero eum nominavit dilectum, ostendit eum esse etiam Filium naturalem quem Pater ut Filium essentiae suae diligit.

Attamen intellegas decet quare Spiritus haec nomina inter se iunxerit eumdemque vocaverit servum et dilectum, id est, hominem et filium, id quod est et id quod factus est. Spiritus per Isaiam eum dixit servum et dilectum et per nomen rem inhumanationis revelavit; Patri vero id opus non fuit, *sed dixit p. 136. tantum: « Hic est Filius meus dilectus », siquidem adspectus nominis locum tenebat; homo enim ab omnibus videbatur; et cum, evidens est, omnis homo servus Dei sit, et cum Filius post inhumanationem suam homo esset, Pater ei, qui videbatur homo et exinde etiam servus, testimonium dedit et dixit eum esse Filium suum dilectum, ut sic eum distingueret ab aliis filiis quos olim per gratiam habuit vel post hunc baptismum habiturus erat; et dixit: Hic, qui nunc a me vocatus est Filius, non per electionem nec ex baptismo genitus est, sed ex essentia mea est ante omnia tempora et saecula; eumque ideo vocavit dilectum ut doceret se in suo erga eum amore lege amoris naturalis moveri. Rursum, in alio loco Isaias eadem dixit[3]: « Ecce intellegetur servus meus, et exaltabitur, et laudabitur, et sublimis erit valde »; illud « intellegetur » pro « agnoscetur » et « revelabitur » ponit. Quia vero Deus erat antequam homo fieret, et absconditus erat et secretus antequam revelaretur, et cum exsisteret venit ut in similitudinem hominum fieret, Isaias, postquam eum vocavit servum, recte dixit: « intellegetur et agnoscetur »: id est, qui videbitur servus et homo, intellegetur et agnoscetur esse Dominus et Deus, secun-

[1] Is., XLII, 1. — [2] MATTH., III, 17. — [3] Is., LII, 13.

dum adspectum id quod factus est et secundum intellectum id quod est. Pergit vero propheta dicens [1]: « Sicut obstupuerunt super te multi, sic despicietur a viris adspectus tuus », eumdemque sensum per ista adstruit: multos eum miraturos, alios
p. 137. vero eum despecturos propter adspectum eius. Obstupescunt *qui eum Deum inhumanatum confitentur; eum vero despiciunt eiusque gloriam parvipendunt qui eum reputant hominem naturalem. Etenim, viris similis est et dissimilis, ut homo quicumque apparet licet ab omnibus hominibus differat, quemadmodum dictum est: « Homo est, quis cognoscet eum? ».

Quod si quis eum, propter adspectum eius, hominem reputare vult, ex operibus eius cogetur eum Deum cognoscere. Et quidem, inde quod revelatus est, cogitatur homo esse, sed ex altero creditur supra hominem esse; et cum inde quod servis similis sit, eorum par existimatur, eo quod ut Dominus cum potestate loquatur et operetur agnoscitur Deus omnipotens. Et ea quae propheta ibi posuit similia sunt, quoad sensum, illis quae a Iohanne evangelista dicta sunt [2]: « Visa est gloria eius », etiam postquam caro factus est, « quasi gloria unigeniti a Patre, pleni gratiae et veritatis »; quasi diceret: Quamvis incarnatus sit et inhumanatus, quod unigenitus est et Dominus non absconditum est; sed quemadmodum ex adspectu agnitus est id quod factus est, ita et ex operibus revelatus est id quod est. Etenim omnia miracula, quae sive a Iesu ipso sive propter eum patrata sunt, non facta sunt ad docendum eum esse hominem naturalem, sed ad firmandum eum esse Deum secundum substantiam etiamsi inhumanatus est. Nullum enim miraculum requiritur ut homo credatur homo esse, quia adspectus et alia quae homo habet eum manifestant esse id quod est. Miracula vero necessaria sunt ubi de Christo agitur, ut manifestent id quod erat etiam postquam factus est. Etenim, antea absconditus erat ut Deus, revelatus est autem quia homo factus est: et rursum, ubi revelatus est, absconditus erat quia homo, non Deus, a videntibus reputabatur. Facta sunt ubique
p. 138. miracula in *annunciatione, et conceptione, et nativitate, et educatione eius; facta sunt etiam ab eo, postquam ad mensuram viri perfecti venit, ut per ea crederetur esse Deus incor-

[1] Is., LII, 14. — [2] Iohann., I, 14.

poratus, non vero homo in quo Deus habitaret. Natura enim Dei invisibilis est cuicumque creaturae, sive angelis, sive hominibus. Etenim, si eos ad se adduceret, non possent eum videre, et si ad eos veniret eum contemplari non valerent. Quapropter primis hominibus, et forsan etiam angelis sanctis, in figuris apparuit. Nam quemadmodum, cum voluit ab hominibus videri, eorum formam assumpsit qua se eis ostenderet, ita etiam si vellet a caelestibus virtutibus videri, in forma uniuscuiusque earum, ut opinor, se ostenderet. Hominibus autem novissime apparuit, non secundum naturam nec in figura, sed vere incarnatus est ex corpore eorum, sicque ab eis visus est, sicut etiam Apostolus intellexit et scripsit [1]: « Manifestatus est in carne ».

## Octavum: Sententia alia.

Christus igitur unus est ex utraque parte, nam e parte superiori Deus esse, et e parte inferiori idem esse homo agnoscitur. Rursum, secundum unionem, unus est ex duabus naturis, quia non agnoscitur unus in illa et alter in hac parte. De partibus enim in eo non est cogitandum; sed, ex quacumque parte nominetur, perfectus credendus est. Etenim unio, quae effecta est, utramque partem sine confusione mirabiliter ostendit, et vicissim, id est, inferior superiorem et superior inferiorem, homo Deum et Deus hominem, caro Verbum *et Verbum car- p. 139.
nem, qui est ex humanitate, eum qui est ex essentia, et qui est ex essentia eum qui est ex humanitate. Haec enim iure meritoque dicuntur si Filius unus est, non duplex, quoad utramque nativitatem. Etenim ille, qui Filius est ex Patre, ipse est homo apud Virginem, quia ex Patre habet quod genitus sit Filius et ex humanitate quod factus sit et natus homo, sed non est alius Filius et alius homo, unus in illa et alter in hac parte. Miraculum unionis nos ita cogitare non sinit, etiam si saepe Deus et homo in Scriptura appellatur, quia factus est homo per exinanitionem. Cum enim natura Filius et Deus esset antequam homo fieret, habet appellationes ex divinitate; et nomina post inhumanationem suam etiam ex humanitate accepit. Sed nec appellationes quas e divinitate habet, nobis absque carne

[1] Cf. I *Tim.*, III, 16.

sunt revelatae, nec nomina, quae ex humanitate possidet, a nobis agnita sunt prius ad alium et postea ad ipsum pertinere. Quapropter Deus et Verbum idem est quod Iesus et Christus, et vicissim Christus et Iesus idem est quod Deus et Verbum; et idem creditur Dominus et servus, liber et subditus, Verbum et caro, Deus et homo, ministratus et ministrans, iubens et serviens, adoratus et adorans, secretus et manifestus, absconditus et revelatus, invisibilis et visibilis, intactilis et tactilis, inapprehensibilis et apprehensus, incomprehensibilis et comprehensus, infinitus et conclusus, impassibilis et in passionibus factus, immortalis et mortem expertus; et quidem in unoquoque horum, ut dixi, in duabus formis non agnoscitur, sed totus est
p. 140. in unoquoque *horum ita ut, ob hanc causam, nuncupetur etiam admirabilis quia, quamvis ex duobus non cogitatur esse duo, quasi per partes numeretur. Non enim perfectus perfecto adhaesit, sicut haeretici stulte opinati sunt, ut agnoscantur duo perfecti, προσώπῳ amoris tantum inter se coniuncti; sed ille, qui creditur perfectus in quantum agnoscitur Deus, perfecte inhumanatus est et etiam natus est ex Matre; et duae nativitates agnoscuntur esse unius Verbi incarnati et unius Filii inhumanati. Et quia ipse, qui factus est, natus est, id est, qui factus est Deus erat et genitori suo consubstantialis antequam fieret, illa quae peperit, Dei Genitrix merito appellata est, quia Deum de se ipsa inhumanatum secundum carnem peperit. Etenim, si homo existimatur natus in quo Deus habitavit, sicut dixit Nestorius; aut rursum, si Deus non prius cum ea quae peperit, cognationem naturalem contraxerit, sicut opinatur Eutyches, secundum sententiam utriusque Virgo ut vera Dei Genitrix haberi non potest. Nam si Deus existimatur sine carne natus, id est, non incarnatus nec inhumanatus ex ea quae peperit, res ista transitus est, non vera nativitas; et rursum, si in alio incarnato et nato, id est, in carne vel in homine, Verbum habitasse cogitatur, nativitas ad inhabitatum, non ad habitatorem pertinere censetur, sicut nulla earum *mulierum*, quae temporibus diversis prophetas et iustos pepererunt, Dei genitrix dicta est quod homines, in quibus Deus habitabat, genuerit.

p. 141. Oportet igitur ut « fieri », non *inhabitatio, nativitatem praecedat; quapropter scriptum est Verbum factum esse carnem, non in carne habitasse. Etenim ille, qui prius fit, ipse etiam

nascitur; ille autem qui inhabitat, non existimatur natus, sed esse tantum in eo qui nascitur. Verumtamen Nestoriani, cum stulti sint, dum ostendere volunt se verbum de corporalitate subtiliter intellegere, inveniuntur corporalitatem penitus destruere; quia si ille qui natus est non agnoscitur primum incarnatus, verum corpus non habet. Et haereses istae, Nestorianorum, inquam, et Eutychianorum, quae existimantur altera alteri contradicere, inveniuntur unam sententiam tenere et pariter negare Deum ex Maria natum esse. Etenim, si Deus apparentiam tantum carnis, non autem hoc corpus nostrum verum et ex natura Virginis habuerit, quae peperit non est vere Deipara, quia ille quem peperit, prius ex ipsa non est incarnatus. Et rursum, si carnem in qua Verbum habitavit, non autem Verbum incarnatum, peperit, neque ita congruenter credenda esset Dei genitrix, quia non Deum incarnatum peperisset, sed id quod recens in ipsa creatum esset, id est, carnem vel hominem. Et quid nisi illud sensit et tradidit Nestorius? Nonne enim, quia opinatus est Verbum carnem non factum esse, sed carnem factam esse et a Verbo assumptam, conclusit Mariam non esse Dei genitricem, sed carnis genitricem, id est, hominis in quo Deus habitavit: quod etiam de quolibet iusto recte dici potest. Itaque omnino necessarium est ut « fieri » nativitatem praecedat; et si Deus creditur homo factus esse absque mutatione, Virgo est vere Dei genitrix; quod si homo factus est in quo Deus quocumque modo, sive *voluntarie, sive per- p. 142.
sonaliter, habitasse dicitur, Virgo mater est hominis, quamtumvis ille quem peperit per inhabitationem Dei honoretur.

Qui ergo ita sentiunt, mysterium inhumanationis penitus destruunt et simul cum eo, ut evidens est, omne bonum quod per inhumanationem generi humano paratum est. Quidam horum aperte dicunt Mariam non esse Dei genitricem; alii vero, etsi hac voce utantur, eam sensu adverso constanter interpretantur quia, aut nomen nativitatis Deo secundum derivationem tribuunt, dum putant realiter rem ipsam ad hominem pertinere, aut hominem, quem genitum dicunt, Deum propter honorem vocant; nec contra Libros sanctos prophetarum, et apostolorum, et evangelistarum, et etiam Patrum beatorum, qui talia excogitaverunt docere erubescunt. Etenim, si Deus, ut dicunt, hominem assumpsit, ipse autem non est inhumanatus ex Maria, quis ergo

natus est: homo natus est, aut Deus qui eum assumpsit, aut ambo simul, aut duo nati sunt? ex nullo loco ostendere possunt. Quod si dicunt hominem esse qui natus est, quia is est qui cognationem naturalem habet cum ea quae peperit; tunc homo iste non sine coniugio natus est; nam homo naturalis, post legem a Creatore semel statutam, sine coniugio exsistentiam accipere nequit. Et si dicant: Ecce Adamus et Eva sine coniugio creati sunt, sciant hoc decretum de propagatione generis humani nondum latum fuisse. Sed isti aperte dicere declinaverunt hominem natum esse, quia id putant filiis Ecclesiae scandalo esse, et pro illo dicunt Christum natum esse, Christum quidem intel- p. 143. legentes Deum et hominem, et rem *nativitatis homini tantum tribuunt, quam nomine etiam ad Deum referunt. Si autem dicunt hos duos natos esse, sibi erubescendum est quia, dum unus est qui vocatur Primogenitus, Dominus, et Redemptor, Virginem matrem geminorum ostendunt, et mysterium inhumanationis adorabile et divinum contemnunt.

Quapropter Christus ab omnibus, qui recte sapiunt, confitendus est Deus homo factus, ita ut non existimetur esse duo, sive personae, sive naturae. Etenim, non difficile fuisset Libris divinis aut sinceris Patribus docere eum hominem sumpsisse, si eum post inhumanationem duo esse credi voluissent. Nunc vero Iohannes evangelista clare scripsit [1]: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis »; et sapientissimus Paulus docuit [2]: « Misit Deus Filium suum factum ex muliere », et rursus [3]: « Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati et propter ipsum peccatum ». Et trecenti decem et octo Patres, qui Nicaeam convenerunt, definiverunt « Deus de Deo, descendit et incarnatus est ex Spiritu sancto et ex Maria virgine, et homo factus est »; et istis verbis aperte refutarunt quod haeretici dicunt: Deum hominem assumpsisse, non vero ipsum absque mutatione inhumanatum esse. Nunc autem, ut aperte indicarent eum unum esse, non duos, post unionem, pro « hominem assumpsit » ubique tradunt « Verbum factum est homo ». Illud enim « Verbum caro factum est » clare stabilivit istud « factum est homo », ex parte carnis totum hominem designando; nam in eo quod factum est assumptio docetur non hominis,

[1] Iohann., i, 14. — [2] *Gal.*, iv, 4. — [3] *Rom.*, viii, 3.

sed carnis; quia patet quod Verbum prius *incarnatum est et p. 144.
deinde inhumanatum, et corpus nostrum, non autem homo ex nobis, dicitur ad illud pertinere. Et quia ille qui inhumanatus dicitur immutabilis est secundum naturam, confessio immutabilitatis recte ei servatur etiam quoad inhumanationem. Etenim, per verba « fieri » et « inhumanatio », quae Scriptura et Patres usurparunt, duo simul significantur: assumptio et unio; assumptio per inhumanationem, et unio per « fieri ». Quod enim introducunt dum pro illo « Deus homo factus est » tradunt « hominem assumpsit », aperte significat non factam esse unionem nec fuisse inhumanationem, nec dispensationem in carne ullo modo adimpletam. Etenim, licet nomen dispensationis apud alios agnitum sit, sicut per Abraham et Moysen incepit tota dispensatio secundum legem, illa tamen, quae dispensatio in carne reputatur, hic tantum hac in re agnita est, quia Deus ipse personaliter incarnatus est et inhumanatus, et ea quae per alios effici non poterant, ipse dispensatorio modo in se ipso adimplevit: scilicet destructionem peccati et omnium quae peccatum intulerat, et stabilimentum iustitiae et eorum quae per eam omnibus, qui huic dispensationi recte credunt, gratis data sunt.

Unio igitur Verbi cum humanitate sequenti modo effecta est. Quemadmodum homo vetus, cum in baptismum descendit, inde alium hominem non assumit, sed ipse novus fit homo Spiritum sanctum accipiendo, et, cum hoc modo creatus denuo ex ipso baptismo nascitur, unus et idem est corporalis qui factus est spiritalis, non quia agnoscitur duo esse, spiritalis et corporalis, liber et servus, sed quia unus est secundum personam et numerum suum; ita et Deus Verbum, qui virtus Altissimi et forma Patris creditur, *cum in similitudinem nostram venit, sicut scri- p. 145.
ptum est: « Virtus Altissimi obumbrabit tibi », in Virgine non formavit alium hominem extra se agnitum, quem per electionem assumptum sibi uniret, quia Filius Dei non dicitur hominem assumpsisse, sed ipse creditur homo factus esse absque mutatione et mansisse, etiam postquam factus est, id quod erat secundum naturam, id est, Filius Dei, quemadmodum etiam homo naturalis in utero baptismi fit filius per renovationem et homo manet secundum naturam; nam non eo quod mutatur ex eo quod erat existimatur homo factus esse, sed per assumptionem carnis ex ea, quae peperit, Virgine scilicet coniugii

inexperte. Et dum homo naturalis, Spiritum accipiendo, Dei fit filius in baptismo, ita Filius Dei, Deus Verbum, carnem per incorporationem assumendo, factus est homo in Virgine sine mutatione; et dum homo corporalis fit in baptismo spiritalis, ibi in Virgine et ex ea Deus spiritalis factus est homo corporalis. Et quemadmodum homo in naturali adspectu suo primo manet etiam postquam factus est homo novus ex baptismo, ita et Deus in natura sua absque mutatione permansit etiam si homo sicut nos factus est. Et quemadmodum homo non reputatur duo esse ubi fit filius Dei ex baptismo, ita non licet Filium Dei, qui factus est homo ex Virgine, numerari duos propter hoc quod factus est. Et quemadmodum homo, dum in baptismum descendit, homo tantum agnoscitur, sed postquam descendit et denuo creatus est, idem est filius per gratiam et homo secun-
p. 146. dum naturam in uno numero, non *in duobus; ita et Verbum Dei, cum ad Virginem venire, Deus tantum sine carne erat; cum autem se exinanivit et in utero habitavit unde absque mutatione inhumanatum est, carnem etiam habuit; et idem agnoscitur esse Deus et homo, ipse totus in hoc et totus in illo, quia dualitas ei non advenit nec numerum accepit; nam inhumanatio eius cogitationem dualitatis aperte excludit, et incarnatio eius opinionem numeri. Et quemadmodum ille, qui ex baptismo nascitur, unus est in sua persona et numero, non autem duo sibi invicem adhaerentes vel in se invicem habitantes: ita et ille, qui ex Virgine inhumanatus est, Unigenitus Dei Filius, unus est in sua persona et numero, totus in hoc quod erat et totus in hoc quod factus est; nam ut Deus perfectus genitus est a Patre perfecto, ita et homo perfectus natus est ex Matre, quae et ipsa perfecta est quoad personam et numerum, secundum sermonem de ea dictum. Et quemadmodum Pater, Filium generando, non minutus est, ita nec Virgo detrimentum passa est cum Filius ex ipsa incorporatus et natus est. Et quemadmodum homo naturalis non est duo ubi fit spiritalis et filius Dei, ita nec Filius naturalis inhumanatus potest numerari duo inde quod factus est corporalis et filius mulieris, sed mansit, etiam postquam factus est, una natura Filii incarnata, quia « fieri » non natura eius est, quae antea exsistebat, sed incorporatio per quam carnem habere agnitus est. Et quemadmodum homo, ex utero natus, cum ex baptismo na-

scitur, non amittit id quod est ex muliere, sed unus homo respectu utriusque nativitatis remanet, licet *prior sit corporalis et altera spiritalis, ita et Verbum, ex essentia Dei Patris genitum et Deus sicut ille, non amisit illud quod Filius essentiae est, cum semetipsum exinaniret et incarnaretur alteramque nativitatem ex muliere patiretur, sed etiam ita mansit Deus ut erat, ubi voluit se ut hominem manifestare. Et quemadmodum homo, qui est filius unicus parentum suorum naturalium, si forte ante alios baptizatur et sic fit eis prior eorumque primogenitus ex baptismo, hac de causa non amittit illud quod est filius unicus parentum suorum primorum, sed ut unicus manet etiam ubi cum multis in baptismo connumeratur; ita et Unigenitus Dei Filius, qui inhumanatus et natus est et ingressus est primogenitus in orbem terrarum, sicut scriptum est [1], et inter multos fratres factus est, non amisit illud quod erat Unigenitus Patris eo quod factus est primogenitus et inter multos fratres connumeratus est, sed mansit ut Unigenitus, quod ex essentia habet, etiam ubi officio primogeniturae erga humanitatem functus est, et factus est ex baptismo et resurrectione primus et primitiae fratrum quos sibi per gratiam fecit. Et quemadmodum, etsi spiritalitas in eo qui ex baptismo nascitur a corporalitate differt, non licet tamen dicere has in eo duas naturas esse; ita nec Christus, qui inhumanatus est et natus ex Virgine, est hanc ob causam duae naturae, quamvis in eo divinitas ab humanitate diversa sit, nam differentia naturarum, quam in Christo confiteri debemus, non numerum indicat, sed praedicat nullam confusionem per unionem factam esse. *Et quemadmodum homo ille, qui filius unicus parentum naturalium dictus est, unicus remanet parentibus suis etiam in hac secunda nativitate ex baptismo; ita et Filius naturalis, ex essentia Patris unice genitus, unicus mansit etiam ubi primogenitus in orbem terrarum per Virginem intravit et inter multos fratres adnumeratus est. Et quemadmodum eius, qui est filius unicus parentum suorum primorum, fratres fiunt ex baptismo qui cum ipso et sicut ipse nascuntur, nec tamen hanc ob causam reputantur esse fratres ipsius secundum primam nativitatem; ita et Verbum, ex Patre unice genitum, fecit sibi fratres

p. 147.
p. 148.

[1] Cf. *Hebr.*, I, 6.

secundum carnalem nativitatem, quorum causa de ipso dictum est: « Non confusus est eos fratres suos vocare [1] »; non tamen isti hac de causa fratres ipsius existimantur secundum essentialem generationem ex Patre, quod ubi vocatum est primogenitus, ibi etiam fratres ipsius hi dicti sunt. Et quemadmodum ille, qui est filius unicus parentum naturalium, cum fit primogenitus eorum qui post ipsum ex baptismo, matre gratia, nascuntur, ob hanc causam non existimatur esse duae naturae; ita et ille qui apud Patrem unigenitus propter essentiam confitendus est, primogenitus fratrum multorum ratione humanitatis factus est, sed eius primogenitura cum unicitate eius non numerata fuit. Et quemadmodum homo qui in baptismum descendit idem est qui ex eo filius Dei factus est, nec alius cum ipso vel ipsius loco nascitur; ita et ille qui naturaliter Filius Dei est, idem est qui etiam secundum carnem filius est hominis ratione secundae nativitatis, nec alius homo cum ipso vel ipsius loco natus est. Et quemadmodum ille qui ex baptismo filius
p. 149. Dei nascitur, homo est per naturam *et filius per gratiam; ita et Filius Dei, qui homo ex Maria natus est, Deus est secundum naturam suam, homo vero secundum carnem propter misericordiam suam. Et confitemur eum qui naturaliter homo est, filium Dei in baptismo fieri, sed modum quo id fiat assequi non possumus; ita et credimus Deum in Virgine et ex ea factum esse hominem, sed qua ratione exponere non valemus. Et quemadmodum ille qui baptizatur, et per virtutem accipit ea quae baptismo dari solent, cum fit filius Dei ex baptismo, non mutatur ab eo quo existimatur homo, et omnia humana habet; ita nec Deus Verbum, cum filius hominis ex Virgine factus est et inde humana acquisivit, mutatus est ab eo quo secundum naturam Deus est, nec a divinis quae ex essentia possidet. Et quemadmodum Spiritus secundo utero baptismi dedit ut homines denuo filios Dei generaret; ita et Spiritus in utero carnali, qui homines generare solet, sanctitatem et virtutem posuit ut Verbum incarnatum recipere posset et ipsum ex eo nasceretur.

Has igitur opiniones et sententias et alias huiusmodi nobis ignotas, quae fortasse aliis notae sunt, aliquis potest instituere

[1] *Hebr.*, II, 11.

duos uteros inter se comparando, uterum Virginis et uterum baptismi, Filium ex Virgine natum et filios ex aqua et Spiritu natos. Et quemadmodum sapientissimus Paulus, resurrectionem hominum ex mortuis docere volens, e resurrectione Christi testimonium adduxit ad resurrectionem eorum confirmandam, ita et nos, ut opinor, recte egimus cum, ex nativitate per gratiam quae hominibus gratis data est, in qua cum fimus filii non amittimus esse homines nec *ullus nostrum numeratur p. 150. duo ubi factus est *filius*, demonstravimus Deum factum esse hominem nec tamen ex essentia sua mutatum esse, aut numerum accepisse. Patet quidem has duas res se invicem fortiter corroborare. Etenim, quia Deus in utero naturali homo absque mutatione factus est, possibile fuit homines in utero baptismi filios Dei fieri. Et quia intellectu difficile est menti quomodo Deus homo fieri potuerit et id quod erat remanere, et unus idemque agnoscendus sit id quod erat et id quod factus est, haec omnia confirmantur eo quod homo ex baptismo filius Dei factus est et non amisit esse hominem. Quapropter etiam Iohannes evangelista haec duo unum iuxta alterum posuit [1]: *scilicet* Verbum carnem factum esse et homines filios Dei fieri. De inhumanatione Dei scripsit: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis », et de divina hominum filiatione dixit: « Qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt ». Quos non humano modo factos esse filios aperte indicavit; quomodo autem facti sint exponere non potuit. Ita et nos docuit Verbum factum esse carnem, id est, hominem; quo autem modo vel quo medio non revelavit, et evidenter quia id assequi non potuit. Haec enim res ad Deum pertinet et eius cognitio intellectum omnium creaturarum superat. Quapropter nobis cum Evangelista dicendum est: « Verbum caro factum est », id est, homo, et etiam addendum est, verbi gratia, non mutatum, non alteratum, non transformatum, non in carnem conversum, non concretum, non factum. Verbum ita non fuisse dicere valemus, sed quomodo fuerit nec intellegere nec *dicere possumus; quia haec res in- p. 151. tellectum nostrum ceterorumque rationalium, sive spiritalium, sive corporalium, transcendit.

[1] IOHANN., I, 13.

Simili modo, de unione eius cum carne et de inhumanatione eius ex nobis, sentire oportet hanc unionem sine confusione aut commixtione factam esse, quia Verbum in carnem non mutatum est cum ex ea incorporatum est, nec caro in naturam Verbi conversa est cum Verbo unita est. Nec naturae inter se mixtae sunt sicut aqua et vinum, quae per mixtionem naturam suam propriam amittunt, aut sicut colores et pharmaca quorum, cum inter se miscentur, unumquodque amittit quidquid integritatis et cognoscibilitatis ex natura habet; sed haec res, quia Dei est, est prodigium incomparabile, et tale quale aliud nunquam effectum est; fidei a Spiritu Dei commissum est qua acciperetur et servaretur. Nam, quemadmodum superius multis ostendimus, virtus prodigiorum intellectu cuiuslibet creaturae comprehendi non potest, sed scientia Dei tantum, qui est omnipotens et factor omnium prodigiorum. Unus ergo est Unigenitus Deus Verbum, qui secundum divinitatem ex essentia Patris est et secundum humanitatem ex Maria virgine; idem est Deus et homo, absconditus et revelatus, Verbum et caro, una natura Filii quoad utramque nativitatem; qui cum Patre et Spiritu adoratur et ter laudatur nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Explicit Sententia octava.

# TRACTATUS TERTIUS

## IN QUO DANTUR ETIAM ALIAE SENTENTIAE QUAS VARIIS MODIS DE DISPENSATIONE CHRISTI IN CARNE HABUIT.

Accedamus rursum, cum etiam auxilium fidei nunc habea- p. 152. mus, ad investigandum alios sensus et significationes de dispensatione divina in carne, et de eis, quantum fieri potest, disseramus, si non quantum decet, tamen quantum in nobis est, demonstrando etiam si verba quae de Deo et nobis in rebus eiusmodi dicuntur, paria sunt, vim tamen sensumque eorum valde diversa esse et differentia; nec decere ut sensus qui de nobis usurpantur, in Deum ipsum etiam transferantur: quia natura divina in omnibus a nobis differt nec ulli creaturae omnino similis est.

Nunc autem imprimis oportet, sicut res ipsa nos cogit, dicere de locutionibus quibus dispensatio Domini nostri in carne revelata est; quae sunt primum: « Verbum caro factum est », deinde: « incorporatus est, corporeus factus est, incarnatus est, inhumanatus est Deus ». Rursum, aliae quae sunt: « assumpsit, unitus est, habitavit, induit, adhaesit ». Quibus singulis locutionibus hae duae doctrinae, quae adhuc in Ecclesia exstant, Nestoriana nempe et Eutychiana, assentiri videntur. Primas enim locutiones, scilicet « factus est, incorporatus est, corporeus factus est, incarnatus est, inhumanatus est », Eutychiani se docere profitentur; secundas autem, *id est, « assumpsit, unitus est, habi- p. 153. tavit, induit, adhaesit », Nestoriani recipere videntur. Patres autem veteres et Doctores, qui irreprehensibiles habiti sunt, omnibus istis verbis et locutionibus pariter usi esse inveniuntur et unumquodque horum sensu convenienti intellexerunt. Eis enim quibus Eutychiani gaudent, non usi sunt ut corpus humanum extra Deum ponerent; neque ea quae Nestoriani recipiunt, adhibuerunt ut probarent Christum esse unum et alterum, aut in duabus personis vel duabus naturis numerari. Crediderunt isti haeretici fautoribus doctrinarum antiquarum, qui ante eos fuerunt, Maneti scilicet, Marcioni, Valentino, Bardesani, et aliis qui ante hos fuerunt, qui et ipsi verba selecta de Scriptura deprompserunt, quemadmodum hodierni haeretici

verba et locutiones Scripturae et Doctorum, omnesque alias Spiritus sententias reiecerunt. Et quidam haeretici vim sententiarum alieno sensu intellexerunt: illi autem qui nunc intus dimicant, Nestoriani nempe et Eutychiani, omnes sanctae Scripturae sententias accipere videntur, sed in verbis quae de inhumanatione dicunt, errant, non solum quia non omnia verba simul recipiunt, sed quia quisque eorum ea quae recipit, aliter intellegit.

Et primum patet eos inter filios Ecclesiae non esse, eo quod unusquisque horum ea quae sibi placent eligit et sumit, sicut de aliis haereticis sermo noster iam ostendit. Eutychiani enim per illa: « Deus factus est, incorporatus est, corporeus factus est, incarnatus est, inhumanatus est », intellegunt eum speciem et apparentiam humanam tantum habuisse; eum autem quidp. 154. quam ex Maria sumpsisse, id est, hanc *corporalitatem in qua se manifestavit, dicere recusant. Existimant enim quod, si quid ex Maria sumptum esset, incrementum in trinitate factum esset et trinitas aliquid, quod ex seipsa non esset, accepisset. Nestoriani vero per has alias locutiones: « assumpsit, unitus est, induit, habitavit, adhaesit », quibus se assentiri profitentur, stabilire contendunt Christum propter hoc duas naturas esse et putant unionem ad prosopon tantum, non autem etiam ad naturam pertinere. Qui, dum per illa verba ostendunt se contra doctrinam Eutychetis sapienter pugnare, ipsi capti in alias opiniones haereticas incidunt. Etenim, eo quod aliqua verba et locutiones, quae sensu orthodoxo dicta sunt, reiiciunt, aliqua vero recipiunt, satis probatur eos esse fures et latrones nec per ianuam in ovile intrare. Sed quamvis verba violenter desumpserint et unum ab alio diviserint, eaque abstracta disperserint et dissipaverint, quia non sunt ex ovibus quae vocem pastoris cognoscunt, nos debemus in omnibus verbis, secundum sensum qui vivificare possit, gaudere et laetari, eaque non solum simpliciter recipere sed recte investigare et intellegere. Et quia Ecclesia Novum et Vetus Testamentum ab haereticis antiquis accepit ostenditque libros et sententias, quae hi separaverant, esse unum, oportet nos ab haereticis hodiernis voces et locutiones sumere, easque cunctas recte confiteri, earum sensum sapienter intellegere, et per unamquamque harum quasi per semitam rectam et simplicem ad veritatem accedere. Hi

autem istas locutiones recipiunt, non quia volunt in *doctrina p. 155. Ecclesiae manere, sed quia existimant se a fidelibus probandos esse, ne, si invenirentur reiicere quod ab omnibus recipitur, ab omnibus haberentur ut extranei, et quasi aperti inimici ex ovilibus ecclesiasticis eiicerentur. Nam si unusquique eorum sano sensu, non autem ex coactione seu timore fidelium, et zelatorum prudentiumque qui inter eos sunt, istas locutiones et voces acciperet, nihil prohiberet earum sensum recte recipere, et has omnes sicut nos intellegere; nec eas unam ab alia dividerent, nec earum significationem alieno sensu explicarent. Sed quia propter traditionem, quae per hos haereticos in simplices propagata est, multi ex fidelibus tales locutiones recipere declinant, et alii quidem reiiciunt ea quae ab Eutychianis dicuntur, alii vero accipiunt quae a Nestorianis usurpantur, necessarium est nos omnes has voces et locutiones, quae ex utraque parte dicuntur, simul accipere, et earum sensum qui verus et rectus est, non sicut nobis placet, sed quemadmodum Patres et Doctores senserunt, intellegere.

## I. Quomodo intellegenda sunt haec: « Deus homo factus est ».

Verbum quod pro « fieri » in Libris divinis ponitur, et etiam a Doctoribus dicitur, multiplici sensu accipitur, sicut in quacumque sententia clare iamiam exponetur. Hoc enim verbum « fieri » praedicatum est aliquando de eis quae ex nihilo *facta p. 156. sunt, et etiam de creaturis quae ex istis constitutae sunt. Dicitur etiam quando homo recenter accepit id quod antea non habebat, et factus est id quod non erat. Rursum, *dicitur* de concordia quae exsistit inter multos; et etiam ubi diversitas naturarum per illud agnoscitur, quarum aliae ex aliquo et aliae ex nihilo factae sunt. Rursum, scribitur quoque de viro et muliere qui etiam una caro fiunt. Dicitur praeterea etiam de dispensatione Dei Verbi in carne.

Ubi Scriptura de operibus ait [1]: « Ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt », et [2]: « In principio creavit Deus caelum et terram », et [3]: « Dixit Deus: Fiat lux et facta est lux »,

[1] *Ps.* CXLVIII, 5. — [2] *Gen.*, I, 1. — [3] *Gen.*, I, 3.

his verbis docuit has creaturas ex nihilo factas esse. Ubi vero dixit [1]: « Fiat firmamentum in medio aquarum, et factum est ita », ostendit naturam liquidam factam esse densam et duram aliamque formam induisse, sicut natura firmamenti videtur esse; quia notum est illud ex aquis induratum et condensatum fuisse et mandato Creatoris supra altitudines multas positum fuisse, licet ex natura gravi constituatur, quae solet descendere; et in eo forma aquarum adhuc videtur sicut adspectus eius clare ostendit.

Etiam alio modo « fieri » intellegitur, quando nempe aliquid ex alio fit, sed secundum naturam non simile est illi ex quod factum est: quemadmodum pisces, et volucres, et animalia omnia, quae in mari habitant, ex aquis facta sunt; quemadmodum etiam arbores, et plantae, et semina, et beluae, et iumenta e terra facta sunt. Haec, etsi ex naturis primordiis facta sunt, similia non sunt creaturis ex quibus facta sunt,
p. 157. sive *quoad formam, sive quoad colorem, sive quoad naturam. Fiunt etiam ex semine et sanguine corpora hominum et aliarum specierum, quae per copulam et fluxum carnalem formantur.

Rursum, alio modo « fieri » intellegitur, qui non solum ex re ipsa, sed etiam ex verbo Scripturae cognoscitur; *scilicet* cum aliquis, potestatem vel honorem accipiendo, fit quod antea non erat, ut si quis fiat rex aut dux aut aliquam potestatem huiusmodi recipiat. Eo enim quod honorem accipit, ipse fit quod antea non erat; quemadmodum Ezechiel propheta de congregatione domus Iudae dixit [2]: « Tulit unum de leunculis suis, et leonem constituit eum », et iterum de illo qui regnavit, dixit [3]: « Crevit unus de leunculis eius, et factus est leo, et didicit praedam capere »; et utrumque, scilicet « tulit » et « factus est », sub uno sensu colligit.

Rursus dicitur « fuit » ex regione vel loco aliquo, secundum morem et usum linguae hebraicae, sicut scriptum est [4]: « Fuit vir unus de Ramathaim Dawqē, de monte Ephraim »; et iterum [5]: « Factum est in diebus Iudicum »; et item de Baptista scriptum est [6]: « Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Iohannes ».

Rursum, alio modo « fieri » intellegitur, qui ex prodigio agnoscitur, quemadmodum virga Moysis facta est coluber et iterum

[1] *Gen.*, I, 6. — [2] EZECH., XIX, 5. — [3] EZECH., XIX, 6. — [4] I *Reg.*, I, 1. — [5] Cf. IV *Reg.*, XXIII, 22. — [6] IOHANN., I, 6.

ex colubro in virgam conversa est: « Quid est hoc in manibus tuis? Respondit: Virga. Dixitque ad eum Dominus: Proiice eam in terram. Et proiecit eam in terram et versa est in colubrum, ita ut Moyses ab eo fugeret. Dixitque iterum Dominus: Extende manum tuam et apprehende caudam eius. *Et extendit p. 158. manum suam et tenuit, et versa est in virgam in manu eius sicut antea erat [1] ». Itaque coluber ex virga factus est, et rursum virga ex colubro; et utrumque per prodigium evenit. Post haec etiam scriptum est Moysen virgam suam coram Pharaone proiecisse eamque versam esse in draconem, et maleficos etiam virgas suas proiecisse easque versas esse in colubros; verumtamen virga Moysis revera facta est coluber, virgae autem eorum secundum visum oculorum tantum. Neque hic scriptum est Moysen ab eo, sicut prima vice, fugisse, quia Spiritus intellectum eius illuminavit ut vim prodigii percipere posset. Et Moyses eam videbat esse duo, virgam scilicet et colubrum; Pharao autem et malefici eam esse tantum id quod facta erat. Virgae maleficorum Pharaoni et Aegyptiis videbantur esse colubri, Moysi autem virgae sicut erant. Ita et virga Moysis eis videbatur draco esse; Moysi vero duo simul, virga scilicet et coluber.

Rursum, alio modo « fieri » dicitur, *scilicet* cum multi una mens fiunt per mutuam concordiam; sicut scriptum est in Actibus Apostolorum [2]: « Omnes qui crediderant erant cor unum et anima una »; sicut etiam Apostolus dixit [3]: « Omnes erimus unum in fide et agnitione Filii Dei, in unum virum perfectum », et rursum, Redemptor noster de discipulis ad Patrem suum dixit [4]: « Da eis ut in nobis unum sint; sicut tu, Pater mi, in me et ego in te, ita et ipsi unum in nobis sint. »

Itaque verbum « fieri », secundum has differentias expositum est; quarum aliae ex Scriptura, aliae vero ex natura ipsa cognitae sunt. *Cuinam horum modorum putamus « fieri » Dei p. 159. simile esse? Illi per quem aliquid ex nihilo fit? Aut illi per quem aliquid ex alio constituitur? Aut illi quo aliquid fit per mutationem? Aut illi secundum quem pluribus diversisque voluntatibus unum fit cor? Aut illi quo vir et mulier una caro fiunt? Aut illi quo homo ex plebeio fit dux aut rex? Ego qui-

[1] *Ex.*, IV, 2-4. — [2] *Act.*, IV, 32. — [3] *Eph.*, IV, 13. — [4] IOH., XVII, 21.

dem existimo modum quo Deus « factus est » cum nullo horum comparandum esse; quia ex eis, quae enumerata sunt, alia per mutationem fiunt aliquid aliud, alia fiunt per assumptionem at sine unione, alia, licet aliquid assumant, non uniuntur, alia per voluntatem tantum fiunt quid unum, et alia per prodigium, sicut accidit virgae Moysis quae in colubrum conversa est, sed non per assumptionem. Si quis dicat *virgam in colubrum versam esse* per mutationem: ecce, etiam postquam facta est coluber, Moysi virga esse videbatur, eamque videbat esse virgam et colubrum, non quidem per duas species, sed per unam, quia erat virga secundum naturam et coluber secundum prodigium. Rursum, cum facta est coluber, ita non est agnita eo quod aliquid ex colubro sumpserit; nec sicut Verbum factum est caro ex carne humana, coluber etiam factus est ex alio colubro. Sed effectum est etiam prodigium quemadmodum decet virtutem Dei. Nam virga facta est coluber per prodigium et virga mansit secundum naturam suam; quemadmodum etiam aqua ibi sanguis facta est, et aqua, sicut erat, permansit. De his duobus testes sunt Aegyptii et Hebraei: Aegyptii quia non potuerunt, ut antea, aquam de flumine bibere, nam ipsis facta est sanguis, et eodem tempore Hebraei eam sicut aquam biberunt; quemadmodum etiam Moysis virga ipsi videbatur esse virga, coluber autem tantum Pharaoni et maleficis.

p. 160. Rursum, dictum est *de viro et muliere [1]: « Relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una ». Unum quidem fiunt quantum attinet ad eum qui ex ipsis nascitur, dum secundum personas evidenter duo sunt.

At nullum ex his « fieri » in omnibus congruit cum illo: « Factus est Deus homo », et si in aliquo simile videtur, in aliis tamen invenitur differre. Hoc enim « fieri » *Dei* unicum est et singulare, sicut decet « fieri » Dei esse. « Verbum caro factum est et habitavit [in nobis] ». Verbum quidem erat, non autem caro; quapropter factum est quod non erat, et secundum naturam mansit quod erat. Huic autem « factum est », addimus illud « non mutatum est »; sed cum confitemur Verbum non mutatum esse, non ideo apprehendimus quomodo

[1] *Gen.*, II, 24.

factum sit. Quod non ita factum sit tantum confitemur, sed quomodo factum est non possumus statuere.

Rursum, Apostolus de Verbo incarnato dixit [1]: « Christus nos redemit de maledicto legis, quia factus est pro nobis maledictum ». Sed qui illud « factus est » per istud « assumpsit » explicant, dicunt eum factum esse carnem sicut factus est maledictum; quasi dicerent: etiam ibi carnem assumpsisse non vero factum esse noscitur, sicut hic maledictum sumpsit non autem factus est. Non autem sicut hi, illud intellexerunt sancti Patres, nec explicarunt illud « factus est » per istud « assumpsit », sed, ut ostenderent Verbum factum esse carnem absque mutatione, in memoriam redegerunt eum factum esse pro nobis maledictum, cum tamen in maledictum non conversum fuerit.

Duo ergo « fieri » didicimus a sanctis Scripturis intellegenda esse de Iesu, Filio Dei: unum in initio, *alterum vero in fine p. 161.
dispensationis agnoscitur. Quod est in initio, est id: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis; » in fine vero est illud quod dixit Paulus: « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum ». Factus est caro ut maledictum etiam fieri posset. Impossibile enim erat eum fieri maledictum nisi prius caro fieret. In utroque casu agnoscimus eum propter nos factum esse. Propter nos enim factus est caro, quia sibi et propter se spiritus est et Deus. Et rursum, pro nobis factus est maledictum, quia sibi et propter se vivens est et immortalis. Et utrumque verum est; non solum e testimonio Librorum, sed etiam e rebus ipsis. Verbum enim vere factum est caro, licet secundum naturam suam spiritus sit et incompositum. Et rursum, vere factum est maledictum, id est, mortis capax, licet, in quantum agnoscitur Deus, incompositum et vivens et immortale sit. In essentia quidem sua non erat id quod factum est, sed in ea erat Deus et Dominus et Spiritus, sicut Pater ex quo est. Caro vero factum est, id est homo, quod et nos sumus. Simili modo non erat maledictum secundum naturam, nec propter transgressionem legis, nec propter peccatum, sed sicut factum est caro, quod ad voluntatem, non ad naturam ipsius, pertinet. Voluntarie enim se demisit ut *homo* « fieret », nec naturaliter est id quod factum est. Ita et factum

[1] *Gal.*, III, 13.

est maledictum, id est, crucifixus est, passus, et mortuus propter nostram salutem, non quia de facto aut ex natura huic poenae subiectus erat. Sensus ergo verborum Apostoli est, nec decet ea aliter interpretari, quod Christus revera factus est maledictum,
p. 162. quia vere passus et mortuus est. Non enim *huic: « Omnia peccata nostra ipse sustulit et pertulit in corpore suo super crucem [1] », simile est illud: « Factus est pro nobis maledictum », nec huic: « Vetus homo noster crucifixus est cum eo [2] ». Nam ubi de peccato voluit docere clare dixit: « Omnia peccata nostra pertulit », quemadmodum dictum est [3]: « Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi »; ubi vero maledictum significare voluit, non dixit « maledictum pertulit », sed « factus est pro nobis maledictum », quasi diceret: Pro nobis passus et mortuus est, et propter nostram salutem crucifixus est.

Ut pateat hunc esse sensum verborum, addam: Maledictum in lege positum, sub quo quilibet peccator erat, poena erat a Deo decreta in eos qui legem trasgrediebantur aut legislatorem blasphemabant. Et licet multae diversaeque essent sententiae latae in eos qui talia peccata committebant, membra enim ex corporibus reorum abscindebantur, alii gladio necabantur, alii lapidabantur, alii igne comburebantur, poena omnium durissima atque opprobrio plenissima erat crucifixio hominis super lignum. Haec quidem, prae ceteris sententiis, existimabatur opprobrio et ignominia plena, eratque supplicium durum quod Christus etiam subiit cum maledictum adversus nos per legem decretum auferre voluit. Ipse enim non solum crucem accepit, sed etiam crucifixus est; et non solum externo modo passionem et mortem pertulit, sed revera passus et mortuus est. Etenim, aliud existimatur esse quod quis assumat aliquid a se distinctum, et aliud quod ipse fiat id quod assumpsisse dicitur. Christus igitur
p. 163. peccatum *non factus est, sed illud pertulit; factus est autem maledictum, quia revera passus et mortuus est. Et aliud esse illud, aliud vero hoc, Scriptura sancta testatur. Dicet enim Isaias, eo quod Christus futurus erat maledictum, id est, passurus et moriturus: « Languores nostros ipse feret et pro nobis patietur; et nos putavimus eum quasi defatigatum, et percussum a Deo, et sub languore factum »; id est, « occisus est propter scelera

[1] I Petr., ii, 24. — [2] *Rom.*, vi, 6. — [3] Iohann., i, 29.

nostra, et attritus est propter iniquitatem nostram: disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus [1] ». Et haec propter maledictum quod Christus futurus erat dixit, quia fuit in languoribus nostris, et passiones nostras passus est, et tentatus est laboribus nostris, et verberatus est, et percussus, et crucifixus, et occisus, et mortuus; de peccato autem non dicit eum factum esse *peccatum*, sed illud pertulisse [2]: « Omnes nos quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit, et Dominus tradidit eum propter peccata nostra; et cum attritus est non aperuit os suum ». Non tanquam reus tacuit, sed sicut is qui voluntarie attritus est. « Sicut agnus ad occisionem ductus est, et quasi ovis coram tondente se non aperuit os suum [3] ». Iterum, dicit eum in humiliatione sua non aperuisse os suum, non tamen quia vincere non poterat. « Iniquitatem non fecit, nec dolus inventus est in ore eius. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate [4] ». Contritionem enim in cruce accepit, et per eam nobis propitiationem fecit; et factus est in passionibus, et mortem subiit, ut nos per ista sanaremur.

Igitur, sicut dixi, duae sunt maledicti species: unum maledictum agnoscitur ex voluntate esse, alterum vero ex sententia. Maledictum enim peccati ex voluntate est, maledictum poenae ex iustitia. Illud homo vult, hoc autem fugit, certe quia hoc eum passione et dolore affligit. Sententia enim *solet diffundi p. 164.
super tumorem peccati, et iustitia adhibere passionem, ut per dolorem iniquitatem ex negligentia ortam auferat, et per afflictionem corporis peccatorem passionis memorem reddat quam animae accidentem non percepit. Quapropter, libertati suave est desiderium fructum peccati carpendi, amara autem poena quam propter peccatum iustitia imponit. Igitur unum ex his effectibus peccati, inquam, Christus tulit; sub altero autem factus est. Peccatum enim non factus est, sed peccata nostra in se sustulit. Maledictum vero, ut dictum est, factus est, quia maledictum vere expertus est dum crucifixionem et mortem subiit. Non enim poenam tulit ut alteri imponeret, quemadmodum Iudaei crucem quam ei imposuerant tulerunt et imposuerunt ei quem angariaverunt, Simeoni Cyrenensi; sed ipse sub poena factus est ut nos ab ea liberaret. Nam statim ac venerunt in locum ubi cru-

[1] Is., LIII, 4-5. — [2] Is., LIII, 6. — [3] Is., LIII, 7. — [4] Is., LIII, 9-10.

cifigendus erat, fixerunt ibi crucem et in eam Iesum suspenderunt. Et forsan Simeon prius crucem ideo portavit ut ostenderetur Iesum propter peccatum aliorum, non propter suum, moriturum : « Etenim, vetus homo crucifixus est cum eo », dicit Apostolus [1] de homine qui peccato servierat. Et rursus Scriptura ait [2] : « Omnia peccata nostra ipse sustulit et pertulit in corpore suo super lignum ». Vetus homo cum eo crucifixus est, cum ipse poenam contra hominem veterem decretam pro nobis dedit, et ipse personaliter crucifixus est, et passus, et mortuus.

Ecce igitur undique probavimus Christum maledictum peccati tulisse, et alterum poenae factum esse. Etenim, licet non peccaverit, mortuus est sicut unus ex peccatoribus, et licet iniquitatem non fecerit nec dolus in ore eius inventus sit, poenam propter ea decretam dedit.

p. 165. Recte igitur hoc : « Christus factus est *maledictum », isto : « factus est caro » comparavimus. Nam quemadmodum, cum spiritus esset factus est caro, nec mutatus est ab eo quod erat spiritus ; ita et cum agnosceretur vivens et immortalis, mortem subiit, nec immortalitas eius per mortem mutata est. Etenim, sicut saepius diximus, Apostolus hoc : « Christus factus est maledictum » pro illo : « crucifixus est et passus et mortuus » posuit ; non autem ut ostenderet eum morte aliorum afflictum esse sed non mortuum esse. Et si quidam e Patribus pro hoc : « Christus factus est caro », ut exemplum adhibuerunt illud : « factus est pro nobis maledictum », *ita fecerunt* non ut probarent eum non factum esse carnem, sed ut docerent eum, quamvis factus sit, non mutatum esse : sive ab eo quod spiritus est, ubi factus est caro, sive ab eo quod impassibilis est et immortalis, ubi maledictum factus est, id est, ubi passionem et mortem subiit. His verbis usi sunt non ut probarent eum sumpsisse carnem non autem carnem factum esse, sed ut ostenderent eum, cum factus est, non reliquisse id quod erat, sive ubi factus est caro sive ubi factus est maledictum. Ubi enim factus est homo, patet eum mansisse Deum ; et ubi occisus est et sepultus, vivus omniaque implens mansit. Et quemadmodum, cum factus est maledictum, id est, passiones et mortem subiit, ipse personaliter ea expertus est, non vero quae alius tulisset metaphorice sua fecit ; ita et

[1] *Rom.*, VI, 6. — [2] I PETR., II, 24.

cum factus est caro, hoc ipsi tribuimus, non autem cogitamus alium factum esse carnem aut hominem, quem, ut hi dicunt, Verbum assumpserit.

Deus enim non assumpsit hominem qualemcumque in utero formatum, in quo, sicut in uno ex iustis, habitavit; sed ipse factus est *homo absque mutatione, iuxta verbum Apostoli. Nam p. 166. Paulus de Christo, quem praedicavit « Deum super omnia [1] », et « Deum magnum », testificatus est dicens [2]: « Ipse nos redemit de maledicto legis, quia factus est pro nobis maledictum ». Et dum Iohannes superius scripsit Verbum carnem factum esse, Paulus hic dixit Christum, Deum magnum et Deum super omnia, factum esse pro nobis maledictum. Hic est ergo verborum sensus nec decet ea aliter interpretari. Etenim, aliud legere et aliud intellegere idem est ac scripta delere aliaque subrogare. Nam interpretatio lectioni contraria lectionem foras expellit et aliquid diversum introducit. Si quis vero dicat: Ecce sunt in Libris sanctis verba quae non intelligenda sunt ut leguntur, sicut haec: « Dominus aegre tulit et eum paenituit [3] », aut haec: « Interrogavit: Ubi es tu, Adam? [4] », aut: « Moysen rogavit: Quid est hoc quod habes in manu tua? [5] », aut sicut illa quae ad Abraham dixit: « Descendam et videbo [6] », aut alia a prophetis dicta: « Deus obdormivit et surrexit [7] »; « inclinavit aurem suam et audivit [8] », « aperuit oculos suos et vidit »; et « odoratus est odorem holocausti [9] », « ivit, venit; descendit, adscendit; fatigatus est, requievit »; sciat ille hoc: « Verbum caro factum est » et cetera quae sequuntur, et etiam illud: « Christus factus est maledictum », istis non esse similia. Etenim supra, verbis humanis actiones divinae, quae non potuissent aliter cognosci, manifestantur; hic autem verba, quae manifestant id quod factum est, ad ostendendas res, quae revera factae sunt adhibentur, quae res, ut patet, verbis priores sunt. Verbum enim prius factum est caro et etiam maledictum, et deinde Iohannes et Paulus verba, quibus res revelatae sunt, clamaverunt.

Sciat haereticus, si putet illa *quae dicta sunt, « Verbum p. 167. caro factum est » et « Christus factus est maledictum », similia

[1] *Rom.*, IX, 5. — [2] *Gal.*, III, 13. — [3] *Gen.*, VI, 6. — [4] *Gen.*, III, 9 — [5] *Ex.*, IV, 2. — [6] *Gen.*, XVIII, 21. — [7] Cf. *Ps.* XLIII (XLIV), 23. — [8] Cf. *Ps.* XVI (XVII), 6 — [9] Cf. *Lev.*, XXVI, 31.

esse verbis de Deo in Vetere Testamento scriptis, se procul a veritate expulsum et in se reapse adimpleri illud[1]: « Stultus loquitur stultitiam et cor eius machinatur malum ». Verba enim superius allata figurativa sunt, nam ibi non scriptum est Deum revelatum esse in carne, sed in igne vel in lumine, vel in nube, vel in forma humana. Unaquaeque harum revelationum fuit similitudo naturalis, non autem natura vera; quia per has revelationes hoc tempore curavit doctrinam ab extra tradere, non autem voluit in se naturam humanam denuo creare et renovare. Hoc enim novissime effectum est per inhumanationem ex Virgine. Et quia tota haec dispensatio vera est resque exacta, non autem per figuran et visionem, etiam verba, quibus agnita est, vera existimanda sunt. Et quemadmodum nativitas aliter non est explicanda, ita nec « fieri ». Etenim, ut evidens est, ille qui e Virgine natus est, prius in ea factus est et deinde ex ea natus, et, sicut scriptum est, etiam suxit lac, et circumcisus est, et pannis involutus est, et positus est in praesepio, et crevit in statura secundum carnem, et esurivit, et sitivit, et laboravit, et fatigatus est. et somniavit, et dormivit, et maestus fuit, et contristatus est, et timuit, et turbatus est, et apprehensus est a crucifixoribus, et pavit, et despectus est, et spuerunt in faciem eius, et caput eius arundine percusserunt, et passus est verbera, et, quemadmodum dixit Apostolus, « factus est pro nobis maledictum », id est, revera crucifixus est, passus, et mortuus. Et quia poenas contra nos lege decretas pro nobis dedit, potuit etiam nos omnes a maledicto legis liberare. Haec omnia, quae scripta sunt, vera sunt, et sicut leguntur intelle-
p. 168. genda. *Eorum omnium primum est illud: « Verbum caro factum est », et post omnia positum est istud: « Christus factus est pro nobis maledictum ». Nemini licet aliter intellegere sive primum, sive illa in medio posita, sive hoc « factus est maledictum » post cetera scriptum, eaque alteri tribuere et existimare ea non pertinere ad eum de quo scripta sunt, aut putare ea secundum figuram, aut phantasiam, aut visionem, aut apparentiam tantum dicta esse, sicut illa quae de Deo in Lege et Prophetis dicta sunt. Sed quemadmodum illa: « Dominus noster natus est », et « crevit, et esurivit, et sitivit, et laboravit, et fatigatus est, et

[1] Cf. *Prov.*, VI, 14.

necessitates humanas cognovit », vera sunt; ita et vera sunt haec: « Verbum caro factum est », et illa: « factus est pro nobis maledictum ». Evangelista enim in hoc loco scripsit: « Verbum caro factum est », nec licet aliter dicere aut cogitare, nec ibi « factum est » per « assumpsit » interpretari. Deinde simul immediate posuit: « habitavit in nobis »; nec debemus alium sensum fingere et illud: « habitavit in nobis » per istud: « habitavit in eo » exponere, sicut sentiunt et dicunt haeretici. Verbum enim non habitavit in homine, sicut hi delirant, sed in nobis hominibus, id est, in natura communi habitavit, non vero in persona singulari unius hominis. Quod enim Deus in uno habitaret semper factum est apud quemlibet iustum et prophetam; hoc autem, quod tota natura humana sit ei habitaculum et templum, et denuo creetur, ita ut Deus in omnibus nobis ex sua parte, habitet, factum est recenter tantum, eo quod ipse caro factus est. Nam quemadmodum caro, quam assumpsit, communis est nec iustorum tantum: ex natura enim humana incarnatus est per Virginem et inhumanatus: ita et inhabitationem omnibus nobis concessit, scilicet omnibus qui volunt per baptismum denuo nasci: « Vos templa Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis [1] ». Itaque *Verbum in nobis per Spiritum suum habitavit, et natura p. 169.
nostra facta est ei templum, quia ipse se exinanivit et ex nobis incarnatus est. Huic, opinor, simile est etiam illud quod ab Angelo vocatus est Emmanuel, quod est interpretatum « nobiscum Deus [2] ». Etenim, hic non dixit « Deus cum eo », sed « nobiscum », sicut dixit « habitavit in nobis », non autem « in eo ». Haec duo enim dicuntur de multis, non vero de uno, sicut intellexerunt haeretici. Non enim Verbum fuit cum uno homine, nec in uno habitavit; sed factum est caro, id est, homo, ut in nobis omnibus habitaret et cum nobis omnibus esset, quemadmodum propheta dixit [3]: « In terra videbitur et cum hominibus conversabitur », quemadmodum etiam ipse uni ex discipulis suis dixit [4]: « Tanto tempore vobiscum sum et non cognovisti me? » Non licet igitur interpretationes alienas verbis divinis imponere, sed haec decet explicare sicut scripta sunt. Omne enim verbum scriptum est ut per lectionem revelaretur, non ut per illud sensus alieni proderentur. Exinde multiplicatae

[1] *Cor.*, III, 16. — [2] MATTH., I, 23. — [3] BAR., III, 38. — [4] IOH., XIV, 9.

sunt semitae in aberrationem haeresum ducentes, quia haeretici alia legerunt et alia interpretati sunt. Quidam ex eis scripta delerunt et alia consignarunt; quidam autem lacerarunt et non scripserunt; quidam vero ea aliter interpretati sunt. Et, ut opinor, plures sunt doctrinae ex alienis interpretationibus ortae quam doctrinae inventae ab eis qui scientiam verborum divinorum corruperunt et delerunt. Nunc enim haereticus, quia alienas interpretationes iis quae legit imponit, ostendit se, si potuisset, etiam verba penitus delevisse et, loco eorum, ea quae ipsi placent subrogasse. Nonne patet eum qui pro illis: « factus est caro », haec: « carnem assumpsit » intellexit, et pro illis: « habitavit in nobis », ista: « habitavit in eo », et pro illis: p. 170. « nobiscum Deus », haec: « Deus cum eo », *etiam verba, si potuisset, mutasse, et loco eorum sua deliramenta introduxisse?

Invenitur etiam Nestorius, a quo haec doctrina quidem nomen sumpsit, in uno ex tractatibus a se compositis, lectionem propriam sententiae mutasse. Pro illis: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis », docuit discipulos suos sic legere: « Caro facta est et Verbum habitavit in ea ». Lege « Verbum »; et pone punctum; adde: « caro facta est », ita ut sensus sit: « Caro facta est et Verbum habitavit in ea ». Ecce vero, o haeretice, Iohannes non dixit carnem factam esse, hanc enim sciebat de more fieri, sed « Verbum carnem factum esse », quod est aliquid novi et res supernaturalis. Caro quidem semper fit secundum legem a Creatore in principio statutam, et, cum animam recipit, appellatur homo. Nunc vero non ita accidit in Virgine; sed recenter Verbum caro factum est, id est, perfecte inhumanatum est. Quia haec res admiratione plena est et mysterium Deo solo dignum, Evangelista eam ut aliquid novi miratus est et posuit dixitque: « Verbum caro factum est ». Verbum enim exsistebat, et factum est id quod non erat, id est, caro, quasi diceret « homo ». Haec concordant cum eis quae initio libri sui posuit. Ubi enim voluit ostendere Verbum esse Deum, scripsit haec verba [1]: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum ». Hic vero, nostrorum memor, salutem et vitam ostendere volens dixit: « Verbum caro factum est ». Hoc enim est quod nos

[1] IOHANN., I, 1-2.

vivificavit. Non enim per illud: « In principio *erat Verbum », p. 171. denuo creati sumus, sed per istud: « Verbum caro factum est ». Quod reiecit haereticus, suae et omnium hominum saluti invidens, et loco istius id « hominem assumpsit » introduxit. Ille enim, si dixerit Verbum carnem sumpsisse, hominem sumpsisse intellegit, non autem id quod nos credimus. Non enim existimamus Deum in Virgine, sicut in aliis mulieribus, carnem aut hominem qui non exsistebat, formasse, eumque assumpsisse tantum ut in eo habitaret; sed confitemur Verbum, quod Deus est, quia voluit homines filios Dei facere, se exinanisse et factum esse carnem atque perfecte inhumanatum fuisse, ut totum hominem in se denuo crearet. Et quia Verbum in nobis factum est homo, nos in eo deificati sumus, filii Dei et Patris facti. Nestorius quidem dixit carnem factam esse et Verbum in ea habitasse; Iohannes vero Verbum factum esse carnem et in nobis habitasse. Nestorius « fieri » carni tribuit, quia si caro prius facta sit in qua Verbum habitaverit, caro, non Verbum, nata est, nam patet quod nativitas « fieri » consequitur.

Si Verbum agnoscitur prius ad Virginem venisse et ex ea per Spiritum sanctum incarnatum et inhumanatum fuisse, Maria vere confitenda est Dei genitrix. Etenim, quemadmodum saepius dictum est, quicumque nascitur prius fit et postea nascitur, et exinde appellatur filius illius quae eum parit, sicut etiam Deus Verbum vocatus est filius Virginis propter nativitatem secundum carnem: « Peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio [1] »; et Angelus dixit ad Ioseph [2]: « Surge, et accipe puerum, et matrem eius, et fuge in Aegyptum ». Etenim, ante hanc nativitatem Verbum erat tantum Deus et ex *Deo; cum autem caro factum est et p. 172. natum, agnitum est etiam homo et ex muliere, non vero homo in quo Deus habitat sicut hi dicunt. Non enim scripsit Evangelista Verbum « habitavisse in homine », sed « carnem factum esse et habitavisse in nobis ». Et si tamen non apprehendimus quomodo Verbum, cum exsisteret, caro factum sit, non mirari debemus. Res enim mysterium est et prodigium novum, atque actio quae naturaliter Deo non convenit. Et cum sit non solum bonus et misericors sed etiam fortis et omnipotens, voluit inhu-

[1] Luc., II, 7. — [2] Matth., II, 13.

manari; et inde quidem manifestavit suam bonitatem, quod nos in seipso fecit novam creaturam; quia vero non mutatus est, revelavit se esse omnipotentem. Etenim, si res aliter effecta esset et Verbum hominem ex Maria assumpsisset, non vero ipsum factum esset caro et homo sine mutatione, Evangelista id quod factum esset scripsisset; id enim facilius erat quam quod scripsit, et loco huius: « Verbum caro factum est », dicere poterat illud: « carnem assumpsit et habitavit in ea », quae sententia nulla indigebat explicatione nec dubium audienti inspirare poterat: nam Deus alios homines, iustos scilicet et prophetas, semper assumpsit et in eis habitavit. Mihi autem, et cuicumque cupienti intellegere, cura non est auferendi explicationem eorum et eius loco meam explicationem subrogare, sed ostendere volo rem inhumanationis scientia cuiuslibet creaturae intellegi non posse, et caveo ne nomine interpretationis, quae non interpretatio sed blasphemia est, corrumpatur sensus verbi Scripturae, id est, ne avellatur lapis ille in fundamentis aedificii dispensationis secundum carnem positus, qui est hoc « Verbum caro factum est ». Haec igitur verba legenda et exponenda p. 173. sunt *iuxta scopum et mentem scriptoris, id est, Iohannis evangelistae, cui etiam omnes Patres adhaeserunt, nam legerunt et intellexerunt sicut ipse tradidit; illi praesertim qui Nicaeam convenerunt et per quos Christus locutus est, qui scripserunt et dixerunt Deum de Deo descendisse et incarnatum et inhumanatum fuisse. Et licet intellegere non possimus quomodo Verbum caro factum sit, nobis mirandum non est. Talis enim est vis prodigiorum ut scientia nostra apprehendi non possint; et praesertim huius prodigii quod unicum et singulare et incomparabile est, et magis quam alia prodigia ab intellectu omnium rationalium absconditum. Hoc enim prodigium in persona Dei singulariter factum est, et non in voluntate eius tantum sicut alia prodigia quae in naturis creatis facta sunt.

Si quis dicat: Ecce alii haeretici, haeresim Eutychetis sectantes, hoc verbo nunc plerumque utuntur et per illud suam opinionem undique stabilire nituntur: non decet, propter voluntatem eorum pravam, hoc verbum recusare aut sensum eius mutare. Illud enim « Verbum caro factum est » non est Eutychetis, nec Apollinaris, nec Arii, nec Eunomii, qui circa illud inveniuntur errasse, sed apostoli et evangelistae Iohannis qui, postquam per

ea quae initio libri sui posuit, docuit Verbum sine initio exsistere et esse Deum et apud Deum et Deum esse Verbum, et introduxit etiam historiam Iohannis Baptistae qui missus est ut primus Verbum annuntiaret, deinde illud addidit: « Verbum caro *factum est et habitavit in nobis », ut ostenderet *Verbum* p. 174. esse unum etiam ubi revelatum est, sicut unum est ex Patre in quantum genitum est. Et si quis haereticus, sive Apollinaris, sive Eutyches, sive Arius, sive Eunomius, illud aliter intellegere vult, cum sententia sua mala a nobis anathematizabitur. Apollinarem et Eutychen anathematizamus quia, etsi videntur confiteri Verbum factum esse carnem, non dicunt ipsum incarnatum esse ex ea ex qua natum est, sed alicunde, prout ipsi delirant. Alii vero haeretici, Arius, inquam, et Eunomius, anathematizantur quia, mutationem fingentes, proclamant Verbum, loco animae, in carne habitasse, et animae instar necessario pertulisse omnia quae per carnem sibi evenerunt; et « quia Verbum est creatura, etiam in quantum agnoscitur Deus, cum non esset etiam ibi factum est », dicunt ipsum hic quoque per mutationem factum esse carnem. Itaque asseclas Eutychetis reprehendimus non quia dicunt Verbum factum esse carnem, quod et Evangelista dixit, sed quia non confitentur Verbum ex Maria factum esse, et quia iniuriose sub macula et accusatione etiam creationem hominum ponunt, et dispensationem in carne tanquam hallucinationem habent.

Nos autem, verba sicut scripta sunt legentes eorumque sensum recte intellegentes, ad omnem haereticum, qui aliter de illis sentit, verba correptionis plena respondemus. Ario, qui mutationem cogitat dicitque animam non fuisse assumptam, affirmamus Deum Verbum et incarnatum esse et anima informatum: et quoad utrumque in immutabilitate sua permansisse. Ad Apollinarem autem, qui putavit Deum Verbum incarnatum esse sed anima sine mente informatum, respondemus Verbum perfecte inhumanatum esse, et nobis per omnia, praeter peccatum, assimilatum fuisse, sicut *dixit Paulus. Ad Eutychen, qui Verbum p. 175. confitetur « factum esse », sed non ex Virgine, clamamus: ex ipsa ex qua natum est etiam factum esse; quae non esset vere mater eius si ex ea vere incarnatum non esset, sed in ea tantum habitavisset non vero ab ea natum. Et Nestorium, qui opinatur Verbum non factum esse carnem sed carnem as-

sumpsisse, eisdem verbis redarguimus eique dicimus: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis ».

Ecce e medio viae omnia offendicula, quae in eam haeretici dolose proiecerunt, removimus; et rursus elucidatum est verbum Apostoli, quantum fieri potuit. Et undique agnitum est Verbum non esse incarnatum per mutationem, nec in Virgine tantum factum esse quin ex ea incarnatum sit, nec incarnatum esse sine anima, nec anima sine mente informatum esse, sed eum, qui totus agnoscitur Deus secundum suum « esse », totum apparuisse hominem secundum suum « fieri », et totum credi in utroque: totum Deum ubi visus est homo, et totum hominem ubi creditus est Deus. Etenim, partes non agnoscuntur in eo, nec latera adhaerentia tantum, sed ex duobus, id est, ex divinitate et humanitate, unus Filius, et Christus, et Dominus agnoscitur per unionem ineffabilem, quam scientia humana nullo modo comprehendere potest. Sed puto eum, qui ex adverso est, petiturum: Si confiteris Verbum factum esse carnem, dic etiam quomodo factum sit. Quod si hoc dicere non valeas, agnoscas « assumpsisse », quod explicatione non indiget, nec dicas « fac-
p. 176. tum esse », *quod est obscurum etiam audienti. Huic nos saltem respondere debemus: Quod confitemur, nempe « Verbum caro factum est », ex Scriptura desumptum est, et ea quae Scriptura dicit recipienda sunt quamvis non intelligantur. Quod autem Verbum ex Virgine sit, et non ex aliunde, apostolus docuit. Ait enim [1]: « Cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret ». Ecce duo praecones divini, Evangelista et Apostolus, pariter ostenderunt Verbum factum esse carnem, et unde factum sit; sed illi haeretici, quo facilius sit eis pervertere, haec verba corruperunt, non solum per interpretationem, sed etiam ordine lectionis; et, dum Paulus dixit: « Misit Deus Filium suum factum ex muliere », ut ostenderet eum qui factus est cum esset, eumdem esse qui missus est, isti lectionem mutaverunt, dicentes: Misit Deus filium suum, eum qui factus est ex muliere, eum qui factus est sub lege. Quippe qui opinantur illum Filium aeternum nec ex muliere nec sub lege factum

[1] *Gal.*, IV, 3-5.

esse. Quam vocem aperte in libris suis ponunt eamque legunt quasi Paulus ita dixisset, et per eam conantur ostendere aperte duos filios, unum factum ex muliere et missum, alterum vero nec factum nec missum. Et is, qui inter eos [1] Doctor nuncupatur, quem dicunt prae quovis alio Interpretem Librorum, Theodorus, inquam, pater et causa huius haereseos, sine pudore duos filios demonstravit dum hanc interpretatur sententiam: unum nec factum nec missum, qui est Deus Verbum, et alterum, filium adoptivum, qui factus est ut mitteretur. Nec recordatus est scriba ille etiam omnes prophetas et apostolos ideo factos esse *ut essent prophetae et apostoli, iuxta verba divina de eis dicta: p. 177. « Vos mihi electi estis ante constitutionem mundi [2] »; et ad Ieremiam Deus dixit [3]: « Priusquam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te ». Si Iesus redemptor noster, ut opinantur, factus est ut mitteretur, tunc similis est ceteris qui facti sunt ut eligerentur et mitterentur, id est, agniti sunt electi etiam antequam fierent et nascerentur.

Nos igitur debemus hoc verbum ad mentem Apostoli intellegere illudque legere sicut ab eo scriptum est, et dicere: « Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege ». Nam si homo quidam, sicut hi dicunt, ex muliere factus esset, Apostolus non dixisset: « Misit Deus Filium suum », sed dixisset eum primum factum esse et postea missum. Impossibile enim erat ut mitteretur qui adhuc creatus non erat, nam necessarium erat eum exsistere et deinde ut salvatorem ad alios mitti. Etenim etiam prophetae, qui temporibus diversis missi sunt, primum facti sunt et deinde missi. Ita et ille qui nunc missus est, si homo sit, ut dicit haereticus, primum exponere decebat eum factum esse et natum sicut singulos prophetas, et deinde inducere illud: « Misit Deus filium suum ». Nunc vero Paulus non dixit eum factum esse hominem et deinde missum, sed eum missum esse et deinde factum: « Misit Deus Filium suum », qui, ut patet, exsistebat antequam mitteretur. Omnes enim qui dicuntur missi, prius facti sunt et deinde missi. Impossibile enim erat eum mitti qui adhuc non exsisteret; et de nemine horum dictum est quod missus fuerit et factus ex muliere, quemadmodum Paulus hic scripsit et dixit eum primum missum esse et

[1] Ms.: « inter vos »; cfr. supra, p. 7. — [2] *Eph*, I, 4. — [3] IER., I, 5.

p. 178. deinde *factum. Nunc vero, quia missus est, missio eius non est de Virgine ad humanitatem, sed de essentia ad Virginem, ut postea sub lege fieret: « Misit Deus Filium suum ut ex Virgine et sub lege fieret, ut eos qui sub lege erant redimeret ».

Itaque Virgo in medio posita est, et ille qui exsistebat antequam fieret, missus est ut ex ea fieret. Et cum factus esset ex muliere, intravit ut primogenitus in orbem terrarum, et sub lege factus est, sicut de eo scriptum est. Etenim, statim ac natus est, non solum naturalia adimplevit, sed etiam legalia servavit. Haec sunt naturalia quod natus est ex muliere, involutus est pannis, suxit lac, portatus est in brachiis et super genua, crescebat paulatim; ad legem pertinet quod circumcisus est, obtulit donum post quadraginta dies, adscendebat singulis annis ad templum ut ministerium legale adimpleret, subditus erat parentibus, et alia mandata omnia quae, ut constat, implevit, sicut Paulus de eo dixit: « factus est sub lege ». Legem ergo servavit postquam inhumanatus est et natus, quia lex in homines potestatem habebat. Quapropter etiam postquam natus est ex Virgine, incepit esse sub lege. Primum missus est a Patre et factus est ex muliere; et postquam ex ea factus est homo, factus est etiam sub lege. Paulus hoc « factus est » bis scripsit, et dixit « factus est ex muliere » et postea « factus est sub lege », ut ostenderet quemadmodum ille qui sub lege factus est non agnoscitur diversus ab eo qui ex muliere factus est,
p. 179. ita etiam illum qui *ex muliere factus est, non differre ab eo qui a Patre missus est.

Filius igitur qui est ex essentia, a Patre missus est, et factus est homo, et natus est ex muliere, et etiam sub lege factus est. Et quemadmodum sentire non licet eum qui sub lege factus est, alium esse ab eo qui ex muliere factus est; ita et illum qui ex muliere factus est, alium non licet cogitare ac eum qui ex Patre genitus est. Et sicut ipse personaliter legem adimplevit, non autem alia persona extra ipsum agnita legem servavit; ita et ipse personaliter factus est caro, non caro aliena facta est cui adhaereret. Apostolus enim, non de corpore, sed de Filio dixit factum esse ex muliere: « Misit Deus Filium suum, factum ex muliere ». Et quemadmodum mandata legis in persona Filii adimpleta sunt, ita et corporalitas ex Virgine in persona Filii agnita est. Ille enim, qui est Verbum ex Patre, idem est caro

ex muliere, et qui est caro et homo ex muliere, ipse est Verbum et Deus ex Patre. Et quemadmodum unus est quoad essentialem nativitatem, ita unus est etiam quoad humanam. Et quemadmodum, in quantum ex Patre est, similis est Patri in omnibus, ita et in quantum ex Virgine factus est, similis est nobis per omnia, praeter copulam et concupiscentiam, et peccatum.

Eadem ergo persona, quae ex Patre nata est Deus sicut ille, etiam ex Virgine facta est homo sicut nos. Et quemadmodum, cum ex Patre nasceretur, neque fluxus, neque sectio, neque passio, neque abscissio, neque deminutio in illa nativitate accidit, sed Filius perfectus natus est ex Patre perfecto, Deus ex Deo, *et Genitor nihil prorsus amisit, sed perfectus sicut erat man- p. 180.
sit etiam postquam *Filius* natus est; simili modo de hac nativitate humana sentire debemus eum, qui ibi natus est Deus perfectus, hic factum et natum esse hominem perfectum; eum, qui *ibi* est unus Filius ex Patre uno, eumdem hic agnitum esse unum filium ex matre una. Et sicut ibi est Filius Patris absque matre, ita et hic factus et filius Virginis absque patre, ad normam primae generationis, sine deminutione, inquam, sine abscissione, sine sectione, sine evulsione, sine fluxu, sine scissione, quod nemo nec dicere nec intellegere valet. Ille, qui agnitus est Verbum et Deus ex Patre, ex Virgine se manifestavit carnem et hominem, dum persona Virginis ex qua factus est et natus integra sicut erat, permansit. Etenim quae peperit nullum detrimentum passa est, nec qui natus est ullum incrementum accepit; nam persona eius nullam deficientiam habebat quae per incrementum compleretur, nec factus est ut deficientiam propriam compleret. Perfectus enim et integer in omnibus est, in quantum agnoscitur Deus; et cum voluit et ad mensuram nostram venire, ut homo sicut nos pro nobis fieret, etiam hic secundum humanitatem agnitus est homo perfectus, sicut in essentia Deus est perfectus.

Christus ergo non est duo perfecti, sicut haeretici opinantur, quia humanitas non agnoscitur esse extra divinitatem, ut putarentur duo perfecti; sed ille qui Deus perfectus creditur, idem est etiam homo perfectus; non tamen in duabus personis aut naturis, quia Filius non aliam naturam ex Virgine habuit, sed corpus et animam quae *ipsius esse agnita sunt, eo quod incor- p. 181.

poratus est et animam sumpsit. Non enim sicut habet naturam ex Patre, ita et habuit aliam naturam ex matre; sed inde habet naturam et personam, hinc vero incarnationem et inhumanationem sine mutatione; et dum natura eius ex Patre agnoscitur, caro eius ex matre est; non quidem caro tantum sine anima, nec anima sine mente, nam haec inhumanatio partibus non constitit; non enim Verbum agnitum est seorsim in Virgine, nec caro eius seorsim extra ipsum, ut postea inter se convenirent vinculo unionis; sed totus Deus perfectus factus est perfecte ex Maria caro et homo; numerum vero non accepit, neque duplex factum esse existimatur, quia in Maria primum non agnitae sunt duae personae aut naturae quae postea unitae sint. Si id accidisset, forsan causa esset cur duplicitas cogitaretur et numerus induceretur. Nunc autem quod ille qui in utero habitavit, Virtus Altissimi, ipse creditur ex eo incarnatus et inhumanatus, et factus id quod unusquisque nostrum est, absque mutatione, homo perfectus, non est locus sentiendi aut dicendi partes in eo esse quae sub numerum cadant, quia mens non potest Verbum in utero considerare cum carnem non haberet nec carnem agnoscere in propria ratione, quae non esset Verbi. Quod deliramentum cum in mente accepissent, qui senserunt et dixerunt duas esse in Christo naturas, a scientia quae inhumanationi convenit, defecerunt.

Una est ergo natura unusque numerus Verbi, una eius persona unumque « esse », quoad utramque nativitatem, antequam
p. 182. fieret et postquam factum est. Ipsum enim factum est *homo ex Virgine quia inhumanatum est, nec alium hominem sibi copulavit. Ipsum personaliter factum est caro sine mutatione, non autem carnem creatam quae sit alterius, fecit suam; et si confitemur ipsum carni unitum esse et inhumanatum, carnem communem dicimus, non vero carnem quae prius alterius, et postea ipsius fuerit. Scriptum est enim quod se exinanivit et formam servi assumpsit, id est, similitudinem et habitum uniuscuiusque nostrum, quae per carnem cognoscuntur. Ipse, cum praesertim vellet se humiliare et ad extremum omnis exinanitionis venire, a carne incepit, id est primum incarnatus est, sicque formam servi sibi assumpsit; et postea informatus est anima et factus est, ut scriptum est [1], « in similitudinem hominum, et habitu in-

[1] *Philipp.*, II, 7.

ventus ut homo ». Quia suscepit se hominem fieri, ut sic hominem denuo crearet, non recusavit fieri etiam secundum ordinem quo unusquisque nostrum fit et incipere unde incipimus. Adamus enim primum quoad corpus formatus est, et deinde per inspirationem animam viventem accepit. Rursum etiam unusquisque nostrum in utero primum corpus fit, et, secundum legem a Creatore statutam, in eo etiam anima creatur: « Creavit Dominus spiritum hominis in eo [1] ». Ita et secundus Adamus, cum vellet ut secundum initium generi nostro constitueretur, quo qui corporales et mortales in Adamo erant, spiritales et immortales in ipso essent, hinc, id est e carne, ipse etiam incepit sicut Adamus in principio et omnis homo quovis tempore. Nec nobis mirandum est. Ille enim qui de caelo ad terram descendit et de throno in uterum venit, non recusaturus erat etiam a carne incipere. Quapropter Iohannes evangelista, haec considerans, non dixit: « Verbum factum est homo », quamvis sciret ipsum perfecte *inhumanatum fuisse, sed: « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ». p. 183.

Obstupesce ergo, o sapiens, et mirare quomodo Verbum Dei se diffudit in utero, et incorporatum est, et caro factum est, et seipsum per Spiritum sanctum formavit secundum omnes similitudines nostras, et omnem compositionem nostram sibi sumpsit, et nostrum corpus corpus suum animamque nostram animam corporis sui esse ostendit, et modo incomprehensibili et ineffabili nobis unitum est. Ipsum enim est qui vere formatum est, quia participavit sanguini et carni, et incarnatum est, et delineatum est, et constitutum, et membris praeditum, homo perfectus, manens tamen Deus perfectus absque mutatione sicuti erat. Quia factum est, creditur esse caro; quia vero non mutatum est, agnoscitur carnem habere. Haec igitur Iohannes contemplabatur cum clamaret et diceret: « Verbum caro factum est »; haec et Paulus considerans dixit: « Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege ». Per illud « factum sub lege » ostendit etiam eum perfecte inhumanatum esse, quia caro sine anima non solet sub lege fieri, nec Deo subiici, nec mandata eius servare. Sed quemadmodum omnis Iudaeus qui sub lege erat corpore et anima constabat, non autem corpore tantum sine

[1] ZACH., XII, 1.

anima: haec enim duo constituunt hominem qui solet legem servare; ita et ille qui, cum factus sit caro, factus est sub lege, Deus Verbum, qui legem olim dedit, cum voluerit legem quam dederat servare et a servitute legis omnes qui vario modo legem transgressi erant, liberare, factus est caro et anima informatus est, et agnitus est homo perfectus, sicut ceteri qui sub lege erant, et sic legem pro omnibus nobis implevit. Impossibile
p. 184. enim erat *eum sub lege fieri nisi primum homo fieret, qui secundum ordinem legi subiiceretur, quia lex super corporales naturas, non autem super spiritales, potestatem habet. Illis enim lex imposita est, non autem his quae sine carne creatae sunt, quae, cum lex daretur mediatores fuerunt et ministrae: « Lex data est per Angelos in manu mediatoris [1] »; et iterum dicit de lege [2]: « Sermo, qui per angelum dictus est, confirmatus est ». Itaque huic legi angeli non subduntur, quia mandata in ea consignata corporalia sunt, hominibusque, qui corpore et anima constant, conveniunt. Deus ergo, qui pro nobis et propter nos se humiliavit, non se elevavit ad angelos ut observaret mandata quae eis data sunt, quia non factus est angelus: angeli enim legem suam non transgressi sunt; sed voluntarie factus est homo legi subditus, et, legem servando, humanae naturae debitum solvit. Etenim, si angelus factus esset, ad extremum totius humiliationis non descendisset, nec in tota mensura exinanitionis agnitus esset; quia natura angelorum multo superior et nobilior est natura hominum. Sed cum vellet iuxta mensuram suae altitudinis se humiliare, ad mensuram nostram, non autem angelorum, descendit, et ille, qui naturaliter supra omnia est, factus est infra omnia, sicut dixit Apostolus [3]: « Quod autem adscendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae? Qui descendit, ipse est qui et adscendit super omnes caelos, ut impleret omnia ».

Adscensio igitur fuit secundum rationem descensionis eius; et quemadmodum adscensio eius sine mensura est, ita et descensio eius, ut non solum naturalia Dei agnoscerentur esse supra mensuram, sed etiam ea quae ad exinanitionem eius pertinent.
p. 185. Non tamen ad nihilum exivit cum vellet *multum humiliari; quia non novam creaturam ex nihilo creare volebat aut huius-

[1] *Gal.*, III, 19. — [2] *Hebr.*, II, 2. — [3] *Eph.*, IV, 9-10.

modi rationem habebat cur ad nihilum exiret; sed voluit hominem, qui post suam creationem vetus et corruptus factus erat, et cuius opera in alium ordinem omnia conversa erant, denuo in se creare per incarnationem et inhumanationem. Et voluntas eius aemulata est naturam eius, ut quantum natura eius est supra omnia, tantum voluntate descenderet infra omnia. O res admiratione plena! O mysterium absconditum et ineffabile, quod Deus nobis revelavit! Voluntas eius cum natura eius aequalis est, quia secundum mensuram qua natura eius sublimis est et super omnia, per voluntatem suam etiam ad exinanitionem descendit ut infra omnia fieret. Et quemadmodum terminum mensurae superioris tenet in quantum agnoscitur Deus, ita terminum omnimodae humiliationis tenet quia se exinanivit, et occisus est, et mortuus, et sepultus, et crucifixus inter latrones. Etenim, Deus naturaliter non est humilis nec pauper, nam secundum naturam suam sublimis est et plenus et dives, sed voluntarie ad mensuram humilitatis nostrae descendit, licet non sola voluntas eius fuerit exinanita, incarnata, et inhumanatæ. Quapropter descendit, ut dictum est, in inferiores partes terrae, et, quia uterus locus est ubi formantur homines, ipse primum descendit ut in eo habitaret; et quia homines e carne incipiunt et fiunt, ipse e carne incepit et homo factus est, et conceptus est in utero, et exivit e vulva ut infans, et portatus est super genua et inter brachia ut puer, et pertulit sordes naturae humanae, et molestias, et fletum, et educationem, et alia quae necessario huic inhaerent.

Et rursum, quia lex erat locus servitutis eorum, ipse etiam factus est sub lege et inter legis subditos adnumeratus est, et omnia mandata eius, etiam quae existimabantur minora et humilia, servavit. Etenim, cum ageret dispensationem secundum carnem, in quacumque semita ambulavit, *se primum in ea p. 186. ostendit; et ad quamcumque humiliationem descendere voluit, infra omnes in ea inventus est. Mater, quae ei fuit secundum carnem, pauper erat; qui ministravit gestienti et parienti fuit Ioseph faber. Nazareth locus est ubi existimatur conceptus esse; spelunca in Bethlehem locus est nativitatis eius; praesepe animalium locus est ubi post nativitatem suam reclinatus est, et Galilea regio est ubi educatus est. Rursus, plus quam quivis alius parentibus suis subditus est, praeterquam submissione

magna legem servavit. Cum conversaretur cum peccatoribus, sicut unus eorum venit ad baptismum; et cum tentaretur a diabolo, magis quam quivis alius probatus est. Rursus, cum appareret ut doctor, ut homo vulgaris inter turbas sedebat et docebat in monte et deserto, in navi et ad littus maris, in locis humilibus et despectis, non habens in mundo propriam habitationem, ne locum quidem ubi caput reclinaret: « Filius hominis non habet ubi caput reclinet [1] ». Eius cibus et discipulorum pane hordeaceo constabat, quem tamen non semper habebant. Plus quam ceteri esurivit, sitivit, laboravit, fatigatus est, conturbatus est, afflictus est. Totam noctem orationi impendebat; totam diem docendo ducebat, modo turbas docens, modo discipulis solis mysteria sua revelans. E regione in aliam se conferebat, et e loco in alium peregrinabatur. Tempore meridiano non requiescebat; nec aliis temporibus otio fruebatur, ut plus quam alii laborem et defatigationem experiretur essetque in angustia
p. 187. et dolore, quia ad colligendum oves suas *dispersas festinabat. Ab omnibus enim despiciebatur, blasphemabatur, conviciis et opprobriis afficiebatur. A Iudaeis vocabatur samaritanus, daemoniacus, insanus, mente captus, qui daemones per principem daemonum eiiciebat; pedibus quos sanaverat, currebant ut eum apprehenderent; et manus, quas curaverat, extendebant ut eum tenerent; et linguis, quas solverat, conviciis eum afficiebant. Nullum tempus erat quo necem eius non molirentur et ei crucem constituere se non pararent. Cum eis Scripturas legisset et explicavisset, surrexerunt ut eum e rupe deiicerent; sed dum eum interficere semper quaerunt, id perficere non valebant, quia hora eius nondum venerat. Pascha cum discipulis suis manducare voluit; sed nihil paratum invenerunt, nec impensas in hoc facere potuerunt, adeo ut ipse, potestate quam habebat secreto usus, alium iuberet qui ipsi pascha pararet. Licet duodecim tantum discipuli ei adhaererent, unus eorum proditor inventus est. Cum etiam de passione sua in caena locutus esset et praenuntiavisset se crucifigendum esse, dum ceteri, postquam manducaverant, somno se dant, ipse, post caenam, orationi institit, et coepit, ut scriptum est, contristari et maestus esse, dixitque [2]: « Tristis est anima mea usque ad mortem », et [3]: « Nunc anima

[1] Matth., viii, 20. — [2] Matth., xxvi, 38. — [3] Iohann., xii, 27.

mea turbata est »; et Evangelista de eo dixit [1]: « Factus in timore, prolixius orabat ». Maior quam cuiusvis alius fuit eius timor, et tantus quidem ut in oratione sua non solum sudorem simplicem sudaret, sed qui, ut dictum est, coagulatus est et fuit sicut guttae sanguinis. Angustiam, et tristitiam, et turbationem animi plus quam quilibet alius *expertus est, adeo ut p. 188. discipulis suis dixerit [2]: « Non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem ».

Apprehensus est ut malefactor; venerunt cum fustibus et gladiis ut eum tanquam latronem conprehenderent; rapiebant eum et trahebant; abducebant eum et deridebant; ex uno praetorio ad aliud ducebatur, manibus multorum pulsus. Quidam contra eum testificatus est: « Dixit se templum eversurum [3] »; alius: « Moysen et legem blasphemavit [4] »; et alius: « Dicere se esse filium Dei ausus est [5] ». Unus alapis eum caedebat; alter in faciem eius exspuebat; quidam protrahebant eum ut flagellaretur; alii dorsum eius flagellis verberabant; alii illudentes coram eo genua flectebant eumque adorabant et regem Iudaeorum derisu appellabant; eum vestibus solitis unus exuebat et alter vestimentis derisus induebat; unus coronam spineam pro diademate ei imponebat, et alter arundinem pro sceptro imperii in manu eius ponebat, alius, arundine accepta, caput eius percutiebat. Milites eum deridebant; Iudaei eum blasphemabant; principes sacerdotum capita sua in eum movebant; daemones instantes erant. Deductus est ut crucifigeretur; et quo maiori opprobrio eum afficerent crucem super humeros eius posuerunt. Hoc fuit spectaculum novum angelis, et hominibus, et daemonibus: angeli obstupescebant, homines dubii haerebant, et daemones conturbabantur, cum haec agerentur. Iustus enim cum iniquis reputatus est, benefactor cum malefactoribus, Deus cum latronibus, vivificator cum occisoribus. Vestimentis eum exuerunt *et super p. 189. lignum extenderunt; manibus et pedibus eius clavos infixerunt. Pro eo clamaverat propheta, dicens [6]: « Foderunt manus meas et pedos meos, et dinumeraverunt omnia ossa mea ».

Crucifixerunt eum cum làtronibus eumque in medio statuerunt quo peior eis videretur. Clamavit dicens [7]: « Sitio », et

[1] Luc., xxii, 43. — [2] Matth., xxvi, 40-41. — [3] Cf. Matth., xxvi, 61. — [4] Cf. Matth., xxvi, 65. — [5] Cf. Matth., xxvi, 64-65. — [6] *Ps.* xxi (xxii), 18. — [7] Iohan., xix, 28.

pro vino, quod etiam sicariis morientibus dari solebat, acetum cum felle mixtum ei porrexerunt. Deum in auxilium vocavit, ut propter hoc saltem erubescerent; illi vero, capita sua in eum derisu moverunt, et ei quasi per contemptum ut de cruce descenderet clamaverunt: « Descende de cruce, et credemus tibi »; et: « Si alios salvos fecisti, salva te ipsum [1] », ita ut, cum non descenderit quia hoc non proderat, negarent alios ab eo vivificatos fuisse. Rogaverunt ut quod non decebat faceret, ita ut, cum non fecerit, quia hoc non congruebat, ea quae revera facta sunt, negarent. Ille in ligno pendet, illi ira exardescunt, ille cruciatur, illi furore inflammantur, ille clavis configitur, illi invidia tabescunt. Non misericordia sed odio concitantur, et compassio illa, qua omnis homo affici solet erga eum qui in afflictionibus versatur, in crudelitatem apud eos mutata est. Etenim, neque postquam mortuus est eum torquere cessarunt, sed unus ex custodibus latus eius lancea confodit. Sepultus est cum celeritate; involutus est ex eleemosyna, et ipsa sepultura eius ex eleemosyna concessa est. Donec permiserit iudex, non fuit qui ausus est corpus eius sepelire; et cum etiam sepulcrum ubi positus est mutuatum esset, plus quam ipse dixerat accidit, quia non solum habitationem non habuit cum hominibus sed ne sepulcrum quidem cum mortuis.

p. 190. Tales ergo defectus *et humiliationes, quae omne verbum contemptus et miseriae superant, ipse Redemptor communis expertus est, quia plus quam quivis alius passus est, et indigens et egenus fuit, et humiliatus est, et despectus, et conviciis opprobriisque affectus, et maledictus, et blasphematus. Reputatus est stultus et vilis ab Herode et servis eius, et a Pilato et ministris eius, et ab omnibus qui mysterium silentii et humilitatis eius intellegere non potuerunt; ita ut tanta esset humiliatio eius quanta altitudo eius, et secundum mensuram qua a spiritalibus creaturis honoratur, etiam a corporalibus despiceretur. Et illud est primum omnium, et terribilius mirabiliusque quam cetera quod, dum esset ex essentia, in creaturis se reclusit: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis ». De hoc Iohannes et Paulus pariter testificati sunt. Ille enim dixit: « caro factum est et habitavit in nobis »; hic vero: « factus ex muliere et sub lege ». Ille Verbo, hic Filio, « fieri » tribuit.

[1] Cf. Matth., xxvii, 42.

## II. Sententia alia.

Si qui aliter sentiendum esse docuerunt, pro more suo delirantes, dicant: Ecce nomen filii commune est, et duas naturas indicat: et idcirco dictum est de eo « factus est ex muliere », quia « factus est » de homine, non autem de Deo, praedicari potest; redarguet eos qui non recte sentiunt hoc « Verbum caro factum est », quod demonstrat « fieri » subiectum habere etiam nomen quod simplex ab eis dicitur, et non solum appellationem filii quam proclamant esse duplicem. Praeterea, etiam in hoc errare invenientur. Etenim, si Iesus vocatus esset filius post incorporationem tantum, id est, post unionem suam cum natura humana, forsan ratio esset ita opinandi. Nunc autem hoc nomen possidet Christus ex quo natus est ex *essentia; et vocatur Filius quia natus est ex Patre, sicut et vocatur Verbum quia absque passione natus est et quia per eum Patrem eiusque omnia cognovimus. Et una eademque est persona et natura Filii et Verbi. Quod si Filius in Scriptura dicitur Christus, agnoscitur simul ut Verbum, et rursus si Verbum appellatur, demonstratur etiam esse Filius; quia nomina Verbi et Filii non duas naturas nec duas personas denotant, sed tantum res quae factae sunt. Christus enim, sicut dixi, est Filius quia genitus, et Verbum quia Patrem revelavit et quia absque passione et tempore natus est. p. 191.

Si adhuc in sua opinione maneant qui stulte putant nomen Filii esse duplex et duas naturas denotare, *respondeamus:* Ille agnitus est ex Patre genitus et ei consubstantialis; item, missus est ab eo et ad Virginem venit: sentiuntne duas naturas ex eo genitas esse eique esse consubstantiales, et ex eo exiisse ut ad Mariam venirent? Ergo ex caelo est etiam corpus eius et consubstantiale est Deo et Patri? Cur ergo reprehendunt Valentinum et Bardesanem etiamque Eutychen quod omnes hallucinentur et dicant corpus Christi ex caelo esse, et etiam alios quod proclament carnem ex Maria Verbo esse consubstantialem? Verum, nos talibus doctrinis non assentimur, sed eas ut figmenta stultarum mentium et paganas doctrinas inventionesque daemonum habemus. Nam credimus, quemadmodum accepimus e Libris sanctis et ex eis qui illos recte et accurate intellexerunt, beatis Patribus, Deum de Deo, Filium consub-

stantialem Deo Patri, ab eo missum esse, sicut Paulus docuit; p. 192. eumque descendisse *absque mutatione de caelo, sicut Patres dixerunt; et incarnatum esse de Spiritu sancto et ex Maria virgine, et inhumanatum esse quin duplicitas ei acciderit, aut incrementum receperit, aut sub numerum ceciderit, sed qui antea et ex Patre agnoscitur Deus, idem agnoscitur homo ex Maria virgine per exinanitionem, totus in illo et totus in hoc, idem et unus in quantum Deus est et in quantum homo apparuit. Et si dicimus eum factum esse, cum « fieri » eum etiam immutabilitatem naturaliter possidere, necesse est intellegamus, ex qua consequitur etiam eum, cum factus est homo, Deum mansisse, et, cum incarnatus est, Verbum perstitisse, et, cum corporeus factus est, Spiritum permansisse, et, cum incorporatus est, simplicem agnitum esse.

Hoc mysterium profundum est et inexplicabile, subtile et inscrutabile, et absconditum etiamsi existimetur revelatum. Non enim ut intellegeretur revelatum est, sed ut incomprehensibile agnosceretur. Si enim incorporeus est qui corporeus factus est, et simplex qui compositus est, et Verbum quod incarnatum est, et Deus qui inhumanatus est, et Creator qui formatus est, et qui omnia adduxit ad exsistentiam is qui factus est ex muliere secundum carnem, quomodo hoc mysterium non habebimus mirabile, et opus patratum ineffabile superansque omnem scientiam humanam omnemque vivam rationalem facultatem? Et quia quodlibet opus et prodigium huiusmodi, quod intellectus comprehendere non valet, solet fidei committi, decet etiam hoc negotium, quod propter suam difficultatem mirabile dictum est, fidei tradere, quae circa illud operationem qua gaudet, ostendet. Etenim, quemadmodum omnis facultas naturalis, quam sive in anima sive in corpore possidemus, per aliquid sibi cognatum operationem suam ostendit: ita et fides, optimum donum quod Deus p. 193. *in anima nostra posuit, per ea quae sunt difficilia et ardua et incomprehensibilia et mirabilia probatur, et his solet operationem qua pollet manifestare. Auditis ergo istis: « Qui exsistit factus est; forma Dei apparuit forma servi; plasmator plasmatus est; creator formatus est; factor delineatus est; incompositus membris donatus est », fides nulli eorum contradicit, sed omnibus gaudet sicut oculus luce, eisque obviam ardenter prorumpit sicut sensus quilibet obviam eis quae percipit. Percipitur enim lux

oculo, et sonus aure, et odor naribus, et sapores palato, et tactilia tactu. Ita et ea quae incomprehensibilia sunt fide percipiuntur. Et quemadmodum unicuique sensui inest vis naturalis percipiendi ea quae ei semel data sunt ut perciperet, ita et fides vim habet percipiendi ea quae sub scientiae sensibus non cadunt; quae simul ac percipit miratur, sed non declarat. Et quemadmodum scientia et sermo de eis quae sub sensibus ponuntur animam implent cum anima cognitionem eorum in se recipit, ita et ea quae supra sensus sunt animam admiratione implent cum per fidem perceptionem eorum recipit.

Ecce et illud quod tenemus: « Deum omnia ex nihilo fecisse », per fidem tantum habemus, sicut dixit etiam Apostolus[1]: « Fide intellegimus aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent ». Quod si fide accipimus naturas ex nihilo factas esse et alia opera *ex eis constituta esse, quid de « fieri » Dei p. 194.
sentire aut dicere possimus? De hoc enim Evangelista et Apostolus nihil amplius dicere potuerunt quam eum factum esse et unde factus sit. Iohannes quidem dixit: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis »: et Paulus[2]: « Misit Deus Filium suum factum ex muliere »; sicque ambo, mysterii eius qui factus est conscii, Enti, id est, Filio consubstantiali, vocabulum « fieri », quod pro more de carne, homine, ceterisque creaturis praedicatur, tribuerunt. Ille dicit Verbum carnem « factum esse »: hic vero Filium « factum esse » hominem. Hic non dixit hominem qui de more fit cum non exsistat factum esse, neque ille carnem recenter factam esse; sed ambo « fieri » ei qui exsistit tribuerunt, non per opinionem, nec per acceptionem, nec per derivationem, nec per appellationem metaphoricam, ita ut alter « sit » et alteri « fieri » tribuatur, sed per veritatem secundum naturam rei ipsius. Quod mysterium, cum revera ita factum sit sicut scriptum est, comprehendi nequit sive scientia nostra, sive scientia cuiuslibet virtutis spiritalis, sive etiam scientia sanctorum apostolorum et evangelistarum, sed tantum scientia eius qui factus est, intellegi potest. Ipse enim solus, cum suo Patre et Spiritu eius sancto, cognitionem adaequatam actionum suarum possidet; ceterae vero creaturae ex auditu tantum per fidem doctrinam de huiusmodi rebus accipiunt. Nam illud quod

[1] *Hebr.*, XI, 3. — [2] *Gal.*, IV, 4.

dixit Apostolus [1]: « Fides ex auditu; auditus autem per verbum Dei », debet, ut opinor, non solum de hominibus, sed etiam de
p. 195. *ceteris naturis rationalibus accipi. Quod si mens ea quae abscondita sunt plus aequo contemplari vult, ei accidit quod et oculo cum nititur globum solis immoderate intueri, praesertim tempore quod ab oriente adscendit; tum enim, pro solis vehementi luce, ille, qui intuetur, sicut quoddam velum super globum extensum videre putat. Etsi non sit in sole aliud et aliud, id est, lux alba et velum rubrum, oculus tamen, propter infirmitatem suam et quia accurate intueri non potuit, aliud pro alio vidit. Ita et mens, si vult mensuram rationalitatis suae praetergredi et locum ubi Verbum habitavit, id est, sanctuarium uteri genitricis Dei, quod fuit sicut globus soli iustitiae, audacter intueri, etsi existimaverit ibi duos sibi apparuisse, Deum nempe et hominem, non duo tamen erant in utero, ut putat, sed ita ei apparuerunt propter infirmitatem eius et quia capere non potuit celeritatem qua Verbum usum est cum habitavit in utero et caro factum est et agnitum est unum et idem Verbum et caro, Deus et homo, absconditum et revelatum, forma Dei quae est forma servi. Hallucinationem vidit pro realitate, et quemadmodum oculus obscuritatem in globo solis, ita et mens in Virgine Deum in homine videre sibi finxit. Sed quemadmodum expansio illa quae existimata est in globo solis esse, non ex sole provenit, sed ex debilitate videntis, ita et oculus mentis, si putat se in Virgine vidisse hominem separatum aut Deo adhaerentem, hunc *revera* ibi non vidit, sed ipse homo vidit praeter eum notionem carnis in specie humana.

Etenim homo a Deo distinctus non exstitit, ne per ictum
p. 196. quidem *oculi, in Virgine, quamvis homo appareat erranti; sed in ea erat Deus inhumanatus qui, in ea et ex ea vere conceptus, factus est absque mutatione homo perfectus, manens, sicuti est, Deus perfectus. Ipsemet agnoscitur esse hoc et illud: ex essentia Deus, et ex humanitate homo; et totaliter in utroque unus est, non duo sicut iudicat is qui inepte vidit. Etenim, ille qui visione quae Deum decet Virginem contemplari scit, Deum in ea invenit; ille vero qui humano modo intuetur, hominem in ea videt. Unusquisque igitur, sicut intueri vult, ita et

[1] *Rom.*, x, 17.

invenit: qui divino modo adspicit, Deum, sicut dixi, in Virgine videt; qui autem crasso et humano modo adspicit, hominem videre putat; nam, quia humano modo adspexit, homo, non Deus inhumanatus, sicut res ipsa se habet, ei ostensus est.

Sicut Paulus et Petrus sunt numerice duo et unum per voluntatem fidei, non ita in Christo Deus et homo sunt duo numerice, unum autem potestate et honore, sicut Nestorius sensit. Etenim, unio non facta est secundum amorem tantum aut concordiam voluntatis; sed est revera naturalis sicut unio animae et corporis. Quemadmodum hic, *quoad hanc unionem*, unus homo agnoscitur esse ex duobus, licet ea quae unita sunt, id est, anima et corpus, diversa sint quantum ad naturam attinet, ita ex Verbo, quod essentiam Patris habet, et ex carne, quae ex humanitate est, una persona unaque natura Filii nobis revelata est; et propterea Patres in commentariis suis nobis tradiderunt ut Christum esse unam naturam incorporatam confiteremur. Non enim *de hac unione sentiendum est sicut de viro p. 197. et muliere qui, dum duo sunt secundum personam, una caro fiunt ratione coniunctionis et manent, sicut sunt, duae personae. Hic est sensus illorum pravus, quem reiicimus ut extraneum et alienum et huic novo et ineffabili mysterio haud convenientem.

Si opus sit exemplo, res enim valde difficiles per exemplum cognosci solent, sequenti utamur, licet ex omni parte non conveniat, siquidem exemplum est, non res vera. Quemadmodum ex viro et muliere nascitur homo, qui est ex utroque secundum legem a Creatore statutam, nec in prole partes viri aut mulieris secernuntur, nec quis sive oculo videre sive mente intueri potest quae partes ex viro sint, quae autem ex muliere, postquam facta est mixtio seminis cum sanguine, sicut statuit Creator, et unus homo ex duobus formatur, totus ex viro per semen et totus ex muliere ratione sanguinis, licet ante formationem mens distingueret principia ex quibus formatio conflata est; ita et in mente nostra accipimus eum, qui in Maria conceptus est, Unigenitum Dei Filium esse ex divinitate et ex humanitate, Verbum ex Patre, sicut semen ex viro, et carnem ex matre, sicut sanguinem ex muliere, et ex utroque per unionem ineffabilem unum Christum et Filium Dominum agnitum esse. Et partium aut naturarum non est in eo numerus, sed apud utrumque agnoscitur totus, scilicet, ex Patre Deus et ex matre homo, Deus

apud hominem, et apud Deum, postquam factus est, etiam homo. p. 198. *Hoc tamen non fit per mutationem illius in hoc, nec huius in illud, quod accidit respectu seminis et sanguinis, quia exemplum allatum est non ad probandam mutationem, sed tantum ad ostendendam unionem quae ex duobus conflata est. In hac enim duo esse nullo modo videre possumus; nam quemadmodum non erat unio antequam mixtio fieret, ita non est separatio postquam unio per mixtionem effecta est.

Et quemadmodum ante manifestationem Dei in carne, prophetae, et doctores, et sacerdotes, et iusti adlaboraverunt ut humanitatem divinitati unirent, nec tamen potuerunt, ita et doctores haeresum et duces sectarum, quantumvis hanc unionem, quae semel ex divinitate et humanitate modo mirabili effecta est, scindere studeant, nec valebunt nec poterunt; nam quod Deus coniunxit homo separare nequit, nec quae ostendit esse unum alii valent efficere duo. Etenim, quemadmodum nulla erat unio ante hanc mixtionem, ita nulla separatio, id est, nullus numerus, post hanc unionem esse potest. Quod si quis, dolo utens more haereticorum, dicat: Ecce vir et mulier una natura sunt, et elementa, quae ex his duobus colliguntur, per mutationem caro fiunt; item, ambo sunt creaturae et fluxus naturalis est: quare ergo comparantur huic unioni, quae facta est absque mutatione et ex divinitate ac humanitate conflata est? Huic respondeamus: Iam praenotavimus exemplum non posse veritatem illius quod docet ex omni parte ostendere, sed ex una tantum aut duabus partibus; nam si ex omni parte perfectum esset simileque ei propter quod adhibetur, iam non esset exemplum p. 199. sed res ipsa exacta quae *per illud cognoscenda erat. Itaque hoc exemplum protulimus solum ad ostendendum aliquid esse ex duobus elementis, quae sibi nec adspectu, nec virtute, nec natura similia sunt. Haec enim, licet duo sint secundum originem suam, in eo coniuncta sunt et facta sunt unum, nec iam oculo aut cogitationi duo esse videntur in eo apud quod coniuncta et unum facta sunt, id est, in carne cuiuslibet hominis. Etenim, quamvis personae viri et mulieris, qui unius naturae sunt, divinitati et humanitati, quae duae sunt naturae, comparari non possint, tamen proles, quae ex his duobus per semen et sanguinem formata est, symbolice nobis ostendit unam personam ex divinitate et humanitate conflatam. Ad hoc enim tantum

adhibuimus exemplum; sicut quidam e Patribus in tractatibus suis vocem « mixtio » posuerunt, non ad ostendendam mutationem naturarum, sicut aquae et vini, sed ad docendum nullam separationem fieri posse. Etenim, quemadmodum infans formatur ex duobus, semine et sanguine, quae, postquam inter se mixta sunt, rursum separari non possunt, ita ex divinitate et humanitate mixtio ineffabilis effecta est, et ex duobus agnitus est unus Dominus, et Christus, et Filius. Attamen cogitare non licet Verbum mutatum esse a natura sua et factum esse carnem per mutationem, sicut semen et sanguis mutantur et sic fiunt caro et ossa et aliae res; sed absque mutatione, ut dixi, sentimus illud per prodigium agnitum esse unum cum carne, sicut etiam semen et sanguinem in uno corpore. Etenim Verbum, cum factum est, absque ulla mutatione agnitum est quod factum est. Neque *factum est sicut aliqua creatura; nam omnis creatura, cum p. 200. fit, mutatur, et deinde agnoscitur esse aliquid aliud, sive aliquid ex nihilo fiat, sive aliquid ex alio constituatur, sicut naturae primordiae quae ex nihilo factae sunt, et aves et pisces ex aqua, et iumenta et belluae e terra.

Deus autem Verbum, cum homo factus est, non mutatus est sicut una ex his naturis aut generibus. Etenim, non factus est cum non existeret, sicut illa; sed, in quantum est Deus, non factus est ex nihilo cum non exsisteret, sicut naturae primordiae quae, cum non essent, factae sunt ex nihilo, ipse enim exsistit essentialiter et non creatus est; nam Deus ex Deo et Filius Entis ex Ente natus est. Pariter, in quantum factus est homo, in omnibus a ceteris operibus differt. Haec enim omnia per mutationem facta sunt; ipse autem absque mutatione factus est. Et quemadmodum non incepit in quantum « est », ita non mutatus est in quantum « factus est »; et quemadmodum a creaturis differt quoad « esse », quia semper exsistit, illae autem in tempore creatae sunt, ita et quoad « fieri » ab eis differt, quia factus est absque mutatione, illae vero per mutationem fiunt. Investigare non licet quomodo exsistat cum non factus sit, eo quod creaturae existunt quia factae sunt; ita, ubi factus est, non licet cogitare quomodo factus sit sine mutatione, quia creaturae per mutationem fiunt. Etenim fieri et non mutari, sicut saepius dixi, ad Deum solum pertinet, *qui exsistentiam p. 201. habet increatam. Ipse solus utramque habet, essentiam et incor-

porationem, quia exsistit increatus et factus est absque mutatione. Et quemadmodum quoad « esse » mutationis expers est, quia non mutatus est a nihilo ut fieret aliquid, ita et quoad « fieri » a mutatione alienus est quia, cum voluerit fieri quod non erat, non amisit quod est; et incomprehensibilitas « fieri » eius comprobatur ex incomprehensibilitate essentiae eius. Eius enim essentia non potest comprehendi; et similiter eius « fieri » explicari nequit. Et quemadmodum agnoscitur esse ex Patre, nec dicere licet quomodo sit; ita et creditur factus ex matre nec investigare decet quomodo factus sit. Necesse est ut confiteamur eum factum esse ex nobis, id est, ex Virgine; quomodo vero, nec cogitare nec dicere licet, etiamsi de hoc dederimus tantum notitiam per imperfectam similitudinem ex humano exemplo quod de semine et sanguine adhibuimus. Etenim, quemadmodum haec, cum inter se misceantur, per suam mixtionem, sicut creator semel statuit, fiunt, ut diximus, corpus humanum quod componitur et colligatur et stabilitur ex multis elementis adspectu ab invicem dissimilibus; ita ex divinitate et humanitate, absque ulla mutatione aut confusione, mixtio ineffabilis mirabiliter facta est. Hoc tamen exemplum, sicut iam diximus, ex omni parte non convenit. Primo enim illa duo, quae inter se miscentur, semen, inquam, et sanguis, creaturae sunt; Deus autem Verbum, *qui*, sicut Paulus dixit, sanguini et carni participavit, Creator sane est et natura eius ex Patre est,
p. 202. caro autem eius ex *matre. Rursum, semen et sanguis visibilia sunt; Verbum autem, quod factum est caro, est invisibile; illa initium habent, ipsum vero est ante initium; illa sunt partes incompletae, ipsum autem perfectum erat et completum etiam antequam carni et sanguini participaret; illa duo sunt corruptibilia, ipsum autem incorruptibile; illa duo, etiamsi adspectu et forma inter se differant, sunt tamen una natura; Verbum autem pro nobis incarnatum et caro eius ita non sunt. Rursum, elementa illa, quorum mutua mixtione corpus humanum stabilitur, ex natura traducuntur; prior vero nativitas Filii Dei non aliquam traducem aut divisionem novit, nec rursum altera nativitas ex matre; sed ibi natus est totus, id est, Deus ex Deo et perfectus ex perfecto; et hic rursum ex Virgine, quae et ipsa in omnibus perfecta est, sicut de ipsa dicitur, factus et natus est homo perfectus.

Itaque secundum unam similitudinem tantum hoc exemplo usi sumus, ad ostendendum aliquid quod constat duobus quae ab invicem separari non possunt, sicut se habet caro humana, quae formatur et fit ex semine et sanguine. Haec enim, postquam unum fiunt, iam in hoc distincte non apprehenduntur, sed unum corpus solummodo ex duobus agnoscitur, sicut etiam ex divinitate et humanitate una persona unaque natura Christi agnoscitur; in eo enim divinitatem extra humanitatem videre non licet, nec humanitatem sine divinitate, sed tantum eum esse totaliter utramque et apud utramque, licet differentia quae naturaliter unicuique earum competit, absque confusione etiam in unione servetur; quia Verbum non mutatum est *in carnem p. 203. cum factum est caro, nec caro conversa est in naturam Verbi cum per unionem ipsius facta est. Exemplum allatum non habendum est extraneum aut huic mysterio incongruum eo quod semen ex viro proveniat et sanguis ex muliere sumatur. At si in utero, ubi haec formantur et caro fiunt, Verbum se demisit ut habitaret et in eo et ex eo fieret caro humana, quomodo haec elementa, quae in utero formantur, esse exemplum τοῦ « fieri » eius aliquis putaret negandum, eo quod necessitas agendi eum non adduxit ut caro fieret, sicut adducit semen et sanguinem ut misceantur et corpus fiant, sed ipse voluntarie se demiserit ut fieret id quod ex istis factum est, praeter quam non ex semine viri factus est sed ex matre tantum, sicut etiam Adamus ex terra, et Eva ex latere illius? Nam ea, quae ibi mystice facta sunt, hic ipsa re explicata sunt. Factus enim est Adamus ex terra sine ope viri; item et Eva ex latere eius sine ope mulieris, sicut Christus natus est ex Patre sine matre, et etiam factus est ex matre sine patre.

Illud exemplum adhibuimus non solum ad demonstrandum argumentum quod discipuli Nestorii reiiciunt, sed etiam ad confirmandam assumptionem illam quam Eutychiani negant. Solent enim dicere, nescientes quidem quid dicant, sicut ego saepe ab eis audivi: Quemadmodum semen viri nihil de muliere sumit sed ipsum solum plasmatur et fit caro, ita et Verbum nihil de Virgine sumpsit, sed ipsum, sicut voluit, in ea formatum est et factum est caro. Adhibent ut argumentum quod non intellegunt, *rem quam non cognoscunt, et quando quidem quod na- p. 204. turale est intellegere non potuerunt, litem movent de eo quod

est supernaturale! Quod si inde argumentum adducant quod existimarunt semen nihil de muliere sumere, sciant semen viri cum sanguine mulieris misceri sicque omnem carnem humanam formari. Hoc probatur ex eo quod, donec nascatur conceptus, ubera matris lac non praestant; nam initio conceptionis sanguis ad formationem cum semine concurrit, et cum perfecta est conceptio, in utero fit nutrimentum concepto; cum autem is nascitur, secundum legem a Creatore statutam, ad ubera transit in quibus fit lac, et sicut in utero ita et extra uterum proli nutrimentum fit.

Verumtamen etiam ex hac parte Eutychiani stulti et imperiti visi sunt, quia ea, quae medicis vel ipsis mulieribus nota sunt, intellegere non potuerunt. Et inde merito ab omnibus damnandi sunt quod, dum rem naturalem non intellexerunt, quod est supra naturam, incorporationem Dei, scrutantur; et quia huius mysterii profunditatem assequi non valuerunt, vere enim profundum est omnibusque inexploratum, etiam incorporationem penitus negaverunt. Si enim Verbum ex Virgine incarnatum esse non creditur, neque illud habere carnem probatur; et si carnem non habuerit, quasi per phantasma et non secundum veritatem apparuit. Et sibi super se ipsos lugendum est quia, dum filiis Ecclesiae adnumerari curant, in agmine Manichaeorum inveniuntur, quorum inter alia etiam illud est: Deum per apparentiam tantum, non vero per carnem humanam, se manifestavisse. Si carnem, aiunt, Deus ex Maria sumpsit, aliquid
p. 205. *personae eius additum est; et si in persona Filii factum est additamentum, patet quod factum est etiam in Trinitate. Neque hi cogitant quod si Deus carnem, licet non ex Maria factam sicut opinantur, habuit, tunc etiam aliquid novi Trinitati additum est, et caro, licet ex Virgine non fuerit, cum Patre et Filio et Spiritu numerari invenitur. Et accidit quod omnes istae disciplinae in tales opiniones declinaverunt quia non potuerunt virtutem unionis intellegere, nec scire quod Deus omnia facere valet et, quemadmodum unus cum Patre est secundum naturam, unus cum carne sua secundum personam esse potuit, et unitatem quam sine carne habet potuit ostendere in se, sine numero, etiam postquam incarnatus est.

Itaque Nestoriani unionem sciderunt et cogitaverunt alium esse Deum in incorporatione et alium hominem; et Eutychiani

dixerunt, si decet confiteri unum Filium etiam post incarna-
tionem, inde probari eum carnem non sumpsisse. Dicunt enim:
Si hanc statuimus assumptam esse, fieri nequit quominus nu-
merentur, assumptor scilicet et assumptus, Verbum et caro.
Et inveniuntur omnes isti in errore extra fidem capti, quia
scientiam de unione non intellexerunt. Nos vero, utramque
opinionem omnino reiicientes, quod rectum est confitemur, et
dicimus Deum vere incarnatum esse et inhumanatum: quod
Nestorius non admittit; item clamamus eum ex nobis, id est,
ex Maria incarnatum esse: quod Eutyches non recipit. Etenim
Christum, si per unionem duae naturae est, sicut ille dixit, fa-
tendum est hominem assumpsisse, non vero ipsum inhumanatum
esse; si vero carnem ex Maria *non assumpsit, sicut hic opi- p. 206.
natur, iam non decet dicere eum incarnatum esse. Nam si ex
ea incarnatus non est ex qua natus est, cum nulla mutatio ei
acciderit nec carnem habeat naturaliter, iam non factus est
caro sicut scriptum est, nec gestatus est in utero novem mensibus,
nec puer ex utero exivit, nec pannis involutus est, nec secun-
dum staturam crevit, nec manus eum amplexae sunt, nec di-
giti tetigerunt, nec fuit quidquam visibile, nec esurivit, man-
ducavit, sitivit, bibit, somniavit, dormivit, passus est, mortuus
est. Quod si nihil horum factum est, dispensatio in carne ut
mera vox habenda est.

## III. Sententia alia.

Deus Verbum non assumpsit hominem prius extra se agnitum et deinde sibi unitum, sicut dixit Nestorius; sed ipse vere factus est caro, quemadmodum scriptum est. Etenim, illud verbum « fieri » a Iohanne et Paulo introductum, et illae *propositiones* « incarnatus est » et « inhumanatus est » a sanctis Patribus adhibitae, homini qui naturaliter caro et homo est non conveniunt, sed ad eum pertinent qui prius iudicatur esse sine carne, sicut Deus agnoscitur fuisse ante incarnationem. Nam hominem quemlibet fieri dum non exsistit, non est mysterium, nec prodigium, nec dignum erat quod in Scriptura ut quid novi poneretur, sicut Iohannes scripsit et dixit de Verbo factum esse carnem. Sed eum qui est factum esse, prodigium exsistimatur. Et quia factus est cum exsisteret, non autem creatus est recenter cum non exsisteret, Iohannes, id miratus, posuit et dixit:

Verbum, quod exsistit, factum est caro et habitavit in nobis. p. 207. Et factum est *cum exsisteret, ut agnosceretur pro aliis, non pro se ipso, factum; nam sibi Deus erat, nobis vero et propter nos voluit homo fieri. Etenim, quia impossibile erat nos filios Patris eius fieri ex eo quod sit Filius, ipse ex nobis factus est homo sicut nos, ut ita possemus et nos filii Patris et fratres filiationis eius fieri.

Itaque, si ille qui factus est, homo est qui, ut hi dicunt, non exsistebat antequam fieret, tum ille, sicut homo quilibet, sibi, non aliis, factus est. Quid dicam, sicut homo quilibet? Immo, etiam sicut quodlibet genus iumentorum, et beluarum, et volucrum, nam haec etiam fiunt ut exsistant et pro nobis fiunt, non vero ut per suam creationem alia ad exsistentiam adducant. Si dicunt Deum hunc creasse ut per eum alios redimeret, tum ille propter nos factus est, nec nos per eum denuo creati sumus. Et quemadmodum omnia genera irrationalium propter nos facta sunt, alia ad cibum, alia ad oblectationem, alia ad alia munera, et etiam semina et herbae et arbores omnis generis propter nos usumque nostrum multiplicata sunt: ita et ille, si factus est cum non exsisteret, tum pro nobis et propter nos factus est ut salutis nostrae minister sit. Et si, ut videtur, salute non indiguissemus, ipse exsistentiam nunquam accepisset; et, ut illud dicam quod ex re ipsa manifestum est, si non peccavissemus, forsan Christus creatus non fuisset. Peccatum enim sub debitum passionum, mortis atque maledicti nos posuit, oportebatque nos ab eis liberari: quapropter necesse erat ut Christus nos redimeret. Et propter hoc, ut dicunt, ad exsistentiam venit, sicut p. 208. etiam quivis *propheta ut prophetaret et omnis salvator propter salutem quam effecit. Et non solum creatio eius invenitur esse pro nobis, sed etiam per ipsam omnia prodigia quae in dispensatione facta sunt: primum quod conceptus sit absque coniugio et exierit quin signa virginitatis laederet, quod glorificatus est ab angelis, et manifestatus est per stellam, et accurrerunt Magi ab Oriente eique munera obtulerunt; nam si homo est, ut dicunt, haec omnia, tempore nativitatis eius effecta, non facta sunt ut ille per ea glorificaretur, sed ut nos rebus huiusmodi cresceremur et honoraremur. Etenim, si ipse factus est propter nos, quanto magis haec omnia, eius causa, nostra reputabuntur et pro nobis scribentur? Et quemadmodum mirabilia quae facta

sunt circa Iohannem Baptistam per annunciationem, et conceptionem, et educationem eius, in honorem Christi facta sunt, ut per ea quae facta sunt apud praeconem suum multo maior videretur; ita etiam gloria eorum quae propter Christum facta sunt ad nos spectat, quippe qui pro nobis et propter nos creatus est. Et etiam ea quae fecit, causa nostri valuit facere; verbi gratia quod mundavit leprosos, aperuit oculos caecorum, sanavit morbos, curavit dolores, eiecit daemones, ambulavit super mare, compescuit ventos, multiplicavit panem, satiavit esurientes, suscitavit mortuos, aquam in vinum convertit, erexit curvos, stabilivit claudos, et omnia quae eum fecisse scriptum est. Si homo factus est pro nobis cum non exsisteret, haec pro nobis fecit et causa nostri honoratus est. Et quemadmodum causa nostri factus est, ita etiam propter nos glorificatus est et accepit virtutem, et potestatem, et imperium, et potentiam; et praeterea etiam resurrectio ex mortuis propter nos ei advenit. Dicunt enim: *Deus p. 209. eum primum suscitavit ut nobis esset primitiae resurrectionis, et per resurrectionem eius certum evaderet nos resurrecturos; nam, secundum sententiam eorum, nisi ipse futurus erat nobis exemplum nostrae resurrectionis, nullo modo resurrexisset, sed in morte sicut unusquisque hominum mansisset. Surrexit ergo propter nos; et rursus pro nobis in caelum adscendit et ad dexteram Patris sedet, et coram eo flectitur, ut dixit Apostolus [1], omne genu caelestium, et terrestrium, et infernorum.

Si homo est qui, cum non exsisteret, factus est pro nobis, etiam omnibus huiusmodi honoribus causa nostri cumulatus est. Illum igitur decet nobis gratias agere quod tanta gloria causa nostri dignus factus sit, nec nos pro his nostris ei gratiam reddere debemus. Et ante omnia, ipse non creatus esset nisi nos per eum renovandi essemus. Et, secundum sententiam eorum falsam, minister et instrumentum tantum fuit nostrae salutis, nec apparuit salvator noster; sed quemadmodum singuli prophetae et apostoli apparuerunt, quorum alii nobis facti sunt doctores, alii praecones, et obtinuerunt diversimode propter nos dispensationem doctrinae divinae, sicut etiam Paulus in persona sua de omnibus ceteris dixit [2]: « Dispensatio mihi credita est; nam si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi

[1] *Philipp.*, II, 10. — [2] I *Cor.*, IX, 16.

incumbit: vae enim mihi, si non evangelizavero ». Ergo hoc « vae », quod dixit Paulus, secundum sententiam eorum impiam, etiam Christo convenit, si illa quae ipsi propter nos credita sunt neglexerit.

Scriptum est etiam de Ieremia[1]: « Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te ». Quod si Iesus, cum non existeret, sicut ille factus est et electus, tunc est propheta etiam p. 210. sicut ille et decet de eo similia dicere, eumque reputare *electum et honoratum duntaxat in praescientia Dei; sicut David de se ipso dixit[2]: « Tu formasti me et posuisti super me manum tuam » quasi diceret: Tu formasti me et elegisti me ad prophetiam et regnum. Ad haec enim praeelectus erat ut esset rex et propheta. Rursus, sicut scriptum est, Deus elegit etiam Salomonem quem misit ad nos ut prophetam et vocavit dilectum et carum, et, etiam antequam nasceretur, revelavit eum post David regnaturum[3]. Ita etiam Iosiae qui serius regnavit, scriptum est nomen impositum fuisse regnumque eius annunciatum pluribus ante generationibus. Unus ex prophetis de eo dixit[4]: « Ecce filius nascetur domui David, Iosias nomine ». Sed nullus eorum propter haec, scilicet propter praescientiam et praeelectionem, vel quia maiorem honorem quam ceteri acceperit, vocatus est Christus aut Filius aut Dominus, sed etiam ita erant natura homines, qui quod cogniti erant a Deo, facti sunt ceteris excellentiores et maiores in quantum praenunciavit eos futuros esse ministros rerum ipsius vel per prophetiam, vel per sacerdotium, vel per imperium. Rursum, providentia divina erga Moysen, qui serius agnitus est salvator, statim ac natus est, manifestata est. Etenim, cum mater eum in flumen proiecisset, nam occultare eum non poterat, *Deus* fecit ut quasi filius regis in domo Pharaonis educaretur; et factus est non solum propheta primusque prophetarum, sed etiam princeps sacerdotum, et sacerdotum unctor, et mediator inter Deum et populum, et salvator, et regis locum tenens, et princeps, et dux, et, quod his omnibus maius est, vocatus est etiam Deus, et ei, tanquam Deo et Creatori omnium, obedierunt naturae, nam per signa quae in naturis fecit Aegyptios delevit et Hebraeos liberavit. p. 211. *Propter

[1] Ier., I, 5 — [2] *Ps.* CXXXVIII, 5. — [3] III *Reg.*, I, 13. — [4] III *Reg.*, XIII, 2.

haec tamen, quantumvis multa magnaque sint, Iesus noster non reputatus est, nec Verbum nec filius Dei secundum naturam habitus est.

Non igitur excellentia honoris neque praeelectio aliquem facit Deum, sicut videre est etiam ex eis quae apud Iacob et Esau facta sunt. Etenim, licet gemini essent, in utero simul concepti, et ex eodem patre eademque matre nati, Iacob solus electus est et patriarchis adnumeratus, Esau autem reiectus est, quemadmodum etiam Paulus dixit [1]: « Praecognita est electio Dei ut maneret, non ex operibus, sed ex vocante. Dictum est enim: Maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui ». Ita et Isaac, eorum pater, videtur per electionem honoratus fuisse. Deus enim ad Abraham de eo dixit [2]: « In Isaac vocabitur tibi semen »; et [3]: « Benedicentur in semine tuo omnes gentes ». Quae Apostolus interpretans clare ostendit Christo convenire et de eo dici, ut exinde cognoscamus omnia quae illis contingebant fuisse typos et symbola et exempla quibus annunciaretur is qui in fine venturus erat, non qui fieret cum non exsisteret, sed qui revelaretur ex eo quod erat; quem cum absconditus esset typi et signa manifestaverant. Cum autem in carne vere revelatus est, clare docuit adumbrationem inhumanationis super primos homines cecidisse eosque honorasse.

Scriptum est etiam de Noe iusto, cum nasceretur, patrem eius de eo prophetavisse dicens [4]: « Iste consolabitur nos ab operibus p. 212. *et laboribus manuum nostrarum et a terra cui maledixit Dominus Deus ». Et, secundum hoc verbum, quantum fieri poterat, consolationem per eum accepit. Hoc enim tempore genus humanum et terra, cui maledixerat Dominus causa peccati, sub tristitia sententiae tenebantur. Rursus, electio per praescientiam agnita est etiam apud Phares et Zara. Etenim, licet natura Zara primum quoad nativitatem ostenderit, electio ordinem mutavit; nam postquam coccinum ligatum fuit in manu Zara qui prior exiret, ipse manum suam retraxit, et qui posterior erat prior natus est et primogenitum se ostendit [5]. Haec eis acciderunt ab utero simul ac nascebantur. Verum, apud Ephraim et Manas-

[1] *Rom.*, IX, 12-13. — [2] *Gen.*, XXI, 12. — [3] *Gen.*, XXII, 18. — [4] *Gen.*, V, 29. — [5] *Gen.*, XXXVIII, 27-30.

sen discretio electionis apparuit cum iam iuvenes essent. Iacob enim, manibus extensis, dexteram super Ephraim et sinistram super Manassen posuit, licet Ioseph Manassen, tanquam primogenitum, ad dexteram et Ephraim ad sinistram statuisset [1]. Ita et de Samson, qui per nazaream vitam agnitus est potens et fortis in Israel, et unus ex salvatoribus et iudicibus factus est: haec agnita sunt antequam conciperetur. Angelus enim, qui missus est, revelavit matri eius quod conciperet et pareret filium, quamvis sterilis esset, eamque docuit modum educationis et rationem vitae eius et abstinentiam eius ex qua robur eius stabiliretur, eumque futurum esse salvatorem et iudicem in Israel [2]. Ita etiam Samuel propheta, statim ac natus est, oblatus est Deo, et per facta manifestatus est non solum propheta, sed etiam iudex et princeps sacerdotum [3]. Audimus etiam Redemptorem nostrum apostolis suis sanctis aperte dixisse [4]: « Vos mihi electi estis ante mundi constitutionem ». Et iterum Apostolus de se ipso scripsit [5]: « Cum placuit ei qui me segregavit ex utero matris meae, et vocavit me per gratiam suam, ut
p. 213. revelaret *Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus: continuo non acquievi carni et sanguini, neque adscendi Ierosolimam ad antecessores meos apostolos ». Et etiam docuit se, statim ac natus est, ad hoc segregatum esse ut in gentibus apostolus esset. Etenim, cum voluntas eius ex ignorantia zelo legis detineretur, quod voluntate prius est, id est, electio, eum posuit praeconem et doctorem gentium, ut patet ex verbis quae Dominus noster ad Ananiam locutus est: « Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel [6] ». Iohannes autem Baptista, antequam nasceretur, electus est ut praeco et nuncius coram Domino fieret, quemadmodum docent ea quae Angelus de eo ad patrem eius dixit [7]: « Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua; et uxor tua Elisabeth concipiet et pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Iohannem; hic erit magnus coram Domino: et vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc in utero matris suae, et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum; et ipse praecedet ante

[1] *Gen.*, XLVIII, 13-22. — [2] *Iud.*, XIII, 3-5. — [3] I *Reg.*, I, 27-28. — [4] Cf. *Eph.*, I, 4. — [5] *Gal.*, I, 15-17. — [6] *Act.*, IX, 15. — [7] Cf. Luc., I, 13, 15-17.

illum in spiritu et virtute Eliae prophetae ». Ecce etiam ille per electionem segregatus est, et, antequam fieret et nasceretur, honoratus est et vocatus est Vox qua Verbum revelandum erat, et Angelus annunciator Regis, et dictus est etiam replendus spiritu et virtute Eliae prophetae. Verumtamen etiam ille, sicut ceteri quos recensuimus, factus est cum non exsisteret, et conceptus et natus est ex senibus sterilibus. Quod si Iesus, ut dicit haereticus, factus est cum non exsisteret sicut isti, non autem cum exsisteret, accepit pro nobis et propter nos fieri, id est ut incarnaretur et inhumanaretur ut nos novam creationem in se ostenderet, nihil differt ab omnibus istis quos recensuimus. Et si dicat illum *eis excellentiorem esse quod maiorem honorem p. 214.
donaque praestantiora acceperit, donis eorum absque comparatione multo sublimiora, sciat inter istos alium alio superiorem esse eorumque dona aliud ab alio plus minus differre, neminem eorum tamen propter hoc habitum esse ut Deum aut adorabilem, nec angelos nec homines iussos esse eum adorare, sicut de Iesu nostro dictum est [1]: « Adorent eum omnes angeli Dei », et [2]: « Coram eo omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum ».

Quapropter si Iesus, secundum eorum sententiam, merus homo est sicut unus ex istis, non autem Deus inhumanatus, ipse invenitur accepisse etiam exsistentiam propter nos, et dignus fuisse qui homo fieret ut nos per eum filii fieremus, et propter hoc adnumerandus est non solum inter prophetas et iustos, sed etiam inter alia genera quae creata sunt propter necessitatem usumque nostrum, et etiam inter cibos resque alias quae Creator ad sustentationem vitae nostrae in hoc mundo condidit. Patet enim haec omnia facta esse, non propter se, sed propter vitam, usum atque necessitatem hominum, aut ut per ea homines erudirentur ad Deum creatorem cognoscendum eaque essent tanquam liber ei qui scientiam humanam comparaturus erat. Quod si ratione et sermone praedita essent, forsan confiterentur se eis propter quos facta sunt, id est, hominibus, gratias agere. Verumtamen in alio sensu Paulus de eis nos erudivit, dicens [3]: « Et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei »; nam, quemadmodum ratio culmi

[1] *Hebr.*, I, 6. — [2] *Philipp.*, II, 10. — [3] *Rom.*, VIII, 21.

est triticum quod fert in summitate, et ratio omnis arboris est
p. 215. fructus quem producit, ita et *ratio cur omnia facta sunt homo est. Pro eo enim et propter eum atque in eius usum, omnia quae facta sunt exsistentiam acceperunt, quorum alia ex nihilo, alia autem unum ex altero orta sunt et oriuntur. Quod si Iesus factus est cum non existeret, ut exsistimant insipientes, ipse invenitur etiam propter nos homines factus, ut nos per eum liberaremur, et redimeremur, et haereditatem bonorum futurorum acciperemus. Ergo non sumus glorificati per eum, sed ipse causa nostri et propter nos honoratus est, id est, ad haec omnia factus est cum non exsisteret. Sed ecce ubique Scriptura causam per quam redempti sumus magis exaltat quam ipsam redemptionem nostram a morte, et corruptione, et peccato, et passionibus; et in Christo ostendit amorem Dei Patris erga nos, sicut hoc [1]: « Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius »; et sicut hoc [2]: « Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum »; et sicut hoc [3]: « Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum pro eo daret », et sicut hoc [4]: « Ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum, ... [5] in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne »; et sicut hoc: [6] « Gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum per quem reconciliationem accepimus ». Quod si, ut hi dicunt, Christus factus sit propter nos et causa nostri, nos vero non propter eum, et causa eius, et per eum facti simus filii Dei et Patris, etiam ei convenit illud quod Paulus dixit [7]: « Omnia propter vos sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura ». Nimirum,
p. 216. si Christus homo sit pro nobis et propter nos creatus *sicut hae aliae creaturae, ipse autem non sit qui omnia et nos ipsos creavit, necesse est eum cum his quae Paulus recensuit numerari, et existimari esse nostri et propter nos sicut illa, eumque esse possessionem nostram, non autem nos eius possessionem: et fortasse dubia sunt haec [8]: « Ipse fecit nos, et non ipsi nos: nos sumus populus eius et oves pascuae eius », et haec alia [9]: « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis »?

[1] *Rom.*, v, 10. — [2] *Rom.*, viii, 32. — [3] Iohan., iii, 16. — [4] *Gal.*, iv, 4; *Rom.*, viii, 3. — [5] Nonnulla excidisse videntur; cf. p. 176. — [6] *Rom.*, v, 11. — [7] *Cor.*, iii, 22. — [8] *Ps.* xcix, 3-4. — [9] Matth., i, 21.

His autem Apostolus non assentitur; aperte enim dixit[1]: « Omnia propter vos, quia vos Christi estis ». Postquam enim enumeravit singula quae posita sunt, dixitque: « Omnia propter vos », causam revelavit propter quam haec nostra sint, dicens: « Vos autem Christi ». Omnia quidem vestra sunt: sed etiam sunt verba horum interpretationi opposita quae ostendunt nos esse propter Christum, non autem Christum propter nos. Revelata est sane nunc insania huius doctrinae, et exposita est, etsi aegro animo, stultitia eorum qui eam profitentur, qui Christum unam ex creaturis reputant, et eum dicunt, sicut illas, cum non exsisteret, factum esse. Si non creditur Deus homo factus cum exsisteret, sed homo recenter creatus cum non existeret, ipse omnibus creaturis connumerandus est, non solum nobilioribus, sed etiam valde humilibus et vilibus, scilicet avibus caeli et reptilibus terrae et cuicumque substantiae quae ex nihilo recenter creatur. Sed quamvis haec aut verbis proferre, aut in memoriam redigere non deceat, ea tamen coacti sumus ad ostendendam haereticorum insipientiam hoc modo proferre; qua re isti harum rerum omnium culpam sustineant, qui causa fuerunt cur loquuti sumus id quod decebat latere.

## IV. Sententia alia. p. 217.

Christus igitur non factus est cum non exsisteret, sicut haeretici dicunt. Etenim, aliquid fieri cum non exsisteret, omnium est; Creator autem non factus est cum non exsisteret, sed, cum esset Deus, factus est homo absque mutatione. Id autem quod factus est docet etiam propter quod factus est, id est, propter homines homo; sed propter Patrem mansit Filius et Deus. Attamen quod dicitur « factum esse Christum », non est inventio Nestorianorum, sed Arianorum qui primi hanc impietatem finxerunt dixeruntque Christum, cum non exsisteret, factum esse. Quibus Nestoriani adhaerentes etiam in commentariis suis tradiderunt Christum, cum non exsisteret, factum esse. Ariani dicunt eum, cum non exsisteret, factum esse Deum ex nihilo; Nestoriani vero eum esse hominem recenter factum ex aliquo, id est, ex Virgine. Mutato tantum verborum loco, quod Ariani de

[1] I *Cor.*, III, 22-23.

prima nativitate intellexerunt, de secunda Nestoriani sumpserunt, et alio sensu peius quam Ariani erraverunt, quia finxerunt aliud esse Verbum et aliud Christum, non vero unum et eumdem sicut illi intellexerunt; et cogitaverunt Verbum esse Creatorem, Christum vero creaturam. In hoc ergo, sicut res ostendit, inveniuntur Ariani eis rectiores, quod Christum unum tantum eumdemque esse intellexerunt, et eum agnoverunt Deum et hominem, Verbum et carnem, nec in naturas nec in personas eum diviserunt, sicut isti qui, mutato verborum loco, p. 218. nomen pro nomine posuerunt, *scilicet nomen Christi pro nomine Verbi. Et dum illi dixerunt Verbum factum esse, hi docuerunt Christum creatum esse, et illud « fieri », quod Iohannes admiratione plenus Verbo tribuit, dicens: « Verbum, quod erat in principio, factum est caro », hi personae Christi tribuerunt; et pro « Verbum caro factum est et habitavit in nobis », intellexerunt Christum factum esse et Verbum in eo habitasse, ita ut Christus necessario habendus sit ut unus ex sanctis in quibus Deus interdum habitavit. Illi enim, scientia destituti, non perpenderunt eum solum, neminem autem ex iustis, vocatum esse Emmanuel; eum tantum natum esse ex Virgine, dum omnes isti coniugio nati sunt; de ipso solo scriptum esse in fine mundi venisse, quasi iam erat antequam veniret; mortem huius solius posse vivificare mortisque potestatem destruere; eum solum tertia die resurrexisse, dum omnes iusti adhuc in morte sunt; et eum solum appellatum esse filium, et dilectum, et primogenitum omnium creaturarum, licet et iusti, propter electionem, honorem adepti erant.

Illud igitur « fieri », quod est carnis et cuiuscumque rei quae fit, Iohannes Verbo tribuit ut ostenderet Verbum non esse alium extra carnem suam, sed cum existimetur factum esse, illud « fieri » Verbo adscribendum esse, et cum Verbum credatur fuisse in principio Deus et apud Deum, haec de Verbo extra carnem non cogitanda esse. Etenim, postquam Verbum carni unitum est, nomen resve propria non est Verbi solius nec carnis tantum, sed, sicut Apostolus intellexit, « Filius factus p. 219. est *ex semine David secundum carnem [1] », et [2]: « In Christo Iesu creata sunt omnia ». Sed illi, qui res tam manifestas non in-

[1] *Rom.*, I, 3. — [2] Cf. *Col.*, I, 16.

tellexerunt, reputandi sunt stultitiores omnibus doctrinis, et obdurati corde ad credendum sicut Iudaei; et de eis etiam illud dictum est [1]: « Non videbunt oculis, nec audient auribus, nec corde intellegent, nec convertentur ad Dominum nec sanet eos », et illud alterum quod dixit Apostolus [2]: « Existimantes se esse sapientes, stulti facti sunt ». Et revera stulti sunt, et omnibus stultis stultiores quia, dum stulti sunt, putant se esse sapientes.

Itaque natura humana non per hominem recenter factum denuo creata fuit. Tantum enim opus creatione alicuius hominis perfici non poterat; sicut hic mundus visibilis non creatus est eo quod Adamus primus factus sit, sed *Scriptura* dicit primum facta esse caelum et terram et mare et omnia quae in eis sunt, et deinde hominem formatum fuisse. Etenim quidquid fit cum non exsisteret, primum sibi et deinde aliis fit; et primum in eo manifestatur donum et deinde in eis propter quae factum est. Ita et Christus; si, cum non exsisteret, recenter factus est, ipse donum exsistentiae accepit, nec alii in eo denuo creati sunt. At vero Apostolus his non assentitur, sed aperte dicit omnia per eum et in eo creata esse [3], et per eum olim creaturas factas esse, et in eo denique denuo creatas cum eas renovavit. Etenim nunc eas, non per voluntatem tantum sicut prima vice creavit, sed in persona sua propria renovavit eas, cum ex ipsa natura humana incarnatus est et inhumanatus est, et per hoc *magnitudinem amoris sui ineffabilis ita osten- p. 220.
dit, ut omnes operationes eius sibi similes essent, creatio gratiae, et amor renovationi. Etenim *Deus* ineffabiliter bonus est, et Creator inexplicabilis, amore immenso plenus, et incomprehensibilis renovator. Et magis quam benefacere ostendere voluit quantum diligat; et quia nihil amorem ipsius mensurare poterat, eum per Filium suum qui ei consubstantialis est mensuravit, quemadmodum Filius de Patre suo docuit, dicens [4]: « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum pro eo daret ». Non enim per « fieri » alicuius hominis mundus denuo creatus est, o haeretice, sed per « fieri » illius qui est; qui, cum factus sit cum exsisteret, eos, qui post creationem suam corrupti erant,

[1] *Act.*, XXVIII, 27. — [2] *Rom.*, I, 22. — [3] *Coloss.*, I, 16. — [4] IOHANN., III, 16.

renovare potuit. Quod si sensus huius mysterii profundior te sit, ad illud descende; si penitior te sit, veteris hominis crassitudine a te deposita, per angustam portam ad illud ingredere. Idcirco enim Verbum incarnatum est et incorporatum ut nos spiritales et subtiles redderet et crassitudinem carnis eiusque passionum de medio tolleret, quae solet impedire quominus mens spiritalia videat. Verbum quidem per incarnationem suam ei dedit ut virtutes spiritales videret et cum eis per omnia communicaret; et quia informatum est anima, etiam sanctam Trinitatem manifestavit et mentem dignam fecit quae cum ea in spiritu coniungeretur. Infirmius igitur est et nimis debile « fieri » hominis, nec potest in suo « fieri » alium facere, nec causa esse cur cum ipse fit alii, qui non essent, cum ipso fiant. Quae sententia confirmatur ex « fieri » omnium iustorum, et patrum, et prophetarum. Unusquisque enim horum, cum factus sit cum non exsisteret, alios in suo « fieri » non fecit, sive remotos sive ei genere propinquos, sive etiam quos contigit uno partu cum aliquo eorum nasci.

p. 221. *Factus est Abraham et natus est, nec tamen per eius « fieri » fratres eius Nachor et Haran facti sunt. Rursus, Isaac filius fuit Abrahae; nec, quia iste factus est, facti sunt Abrahae filios e Cetura. Facti sunt etiam uno partu Iacob et Esau; sed Esau non formatus est quia Iacob conceptus est, nam natura, secundum conceptum, Esau primum ostendit. Ita Iosue, filius Nun, non creatus est quia Moyses factus est; nec quia concipiendus erat David facti sunt fratres eius; nec factus est Eliseus quia Elias creatus est. Patet enim omnem iustum factum esse ut exsisteret, non ut alii per « fieri » ipsius essent. Neque, si fieri geminos contigerit, quorum unus iustus et alter peccator sit, creatus est peccator propter iustum, ut Iacob et Esau conceptus manifeste ostendit; sed omnes, qui facti sunt, sive iusti, sive peccatores, facti sunt ut exsisterent, non ut alios aut se invicem per suum « fieri » crearent. Etenim, omnis homo ideo fit ut exsistat, et simili modo quaelibet natura et creatura.

Ita vero se non habet « fieri » quod de Creatore scriptum est, id est, de Verbo quod factum est caro; sed est novum et singulare, resque prodigiosa. Sed quod ipse dignatus est fieri, quod factus est cum exsisteret, quod eius « fieri » eius essentiam non mutavit, quod aliis dedit ut per fieri ipsius fierent et tamen

in suo « fieri » non amitterent quod erant, mirabile est et magis stupendum quam alios in « fieri » ipsius ad exsistentiam adduci. Ita quidem gestae sunt res ut quidquid per Dei exinanitionem factum est, agnoscatur esse prodigium quod creditur sed non intellegitur, quod praedicatur sed non comprehenditur. Cum enim Deus ex essentia abscondita ad nativitatem manifestam per dispensationem venire voluit, omnia denuo *instau- p. 222. randa erant. Quapropter non solum carnem sed etiam animam assumpsit, ut per carnem omnia visibilia et per animam invisibilia, id est, omnem creaturam rationalem et spiritalem, in se ipso renovaret, ita ut ob hanc causam Apostolus dicere potuerit [1]: « Omnia in Christo facta sunt nova », et iterum [2]: « Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, sive Throni, sive Dominationes », cum aliis ordinibus ibi enumeratis.

Itaque Deus absque mutatione factus est quod non erat, id est homo, et in essentia sua mansit quod erat, scilicet Deus et Filius. Et quemadmodum homines fiunt quod non erant, id est filii Dei, et manent, sicut oculo apparent, homines; ita et Deus factus est quod non erat, id est homo, et permansit, sicut in veritate et natura est, Deus. « Fieri » eius essentiam non mutavit, nec essentia « fieri » eius dissipavit. Etenim antequam fieret ei erat tantum essentia; sed, postquam factus est, cum ea habuit etiam « fieri »; et idem est filius essentiae et factus, Verbum et caro, Deus et homo. Et quemadmodum homo non mutatur dum ex corporali fit spiritalis, ita nec Deus mutationem passus est cum ex spiritali corporalis, et ex Verbo caro factus sit. Etenim, quia infirmum erat hominum primum « fieri », siquidem « fieri » hominum fuit initium exsistentiae eorum, necesse fuit ut aliud initium, id est « fieri » Dei, sit principium « fieri » nostri, et loco illius primi fundamenti, quod erat infirmum et instabile, aliud poneretur firmum et inconcussum, ita ut domus super illud aedificandae non sicut olim corruerent, sed, virtute ab eo accepta, absque dissolutione et mutatione in aeternum permanerent, *et totum aedificium firmitate fundamentis simile esset, p. 223. et arbor radici, et palmites viti: « Ego sum vitis, et vos palmites [3] », et « Pater meus agricola est [4]: ». Et Paulus ait [5]: « Fun-

[1] II *Cor.*, v, 17. — [2] *Coloss.*, I, 16. — [3] IOHANN., XV, 5. — [4] IOHANN., XV, 1. — [5] I *Cor.*, III, 11.

damentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus ». Etenim, quia creatio primi hominis, quae exsistentiae nostrae fundamentum erat, per mortem et passiones et corruptionem dissoluta cum toto aedificio sibi superimposito corruerat, Deus omnipotens voluit in amore suo semetipsum exinanire, et ille, qui sibi et propter se Deus est, pro nobis et sicut nos homo factus est. Quia factus est quod sumus, filiationis suae cognatos nos posuit; factus est caro et nos reputavit fratres suos; vocatus est caput nostrum et nos membra sua fecit; factus est in nobis vitis, et nos in eo palmites; constitutus est primitiae nostrae, et nos omnes facti sumus fructus eius ne aedificium nostrum sicut prima vice destrueretur, corrumperetur, dissiparetur et disperderetur, sed fixum firmumque esset per virtutem illius cui superimpositi sumus. Ipse est enim lapis angularis fundamenti super quem universum aedificium componitur et colligatur et usque ad Deum crescit.

Primum enim initium et fundamentum exsistentiae nostrae est Adamus, primus homo, super quem omnes generationes hominum, quasi domus, aedificatae sunt, possidentes naturam et debilitatem et mortalitatem, quae ei acciderant. Earum exsistentia exsistentiae eius similis est, non in eis quae habuit cum a Deo crearetur, sed in eis quae ei post peccatum acciderunt. Necesse enim erat ramos et fructus esse sicut radices, et palmites sicut vitem ex qua orti sunt. Et quia debile erat principium quod habuerunt, res postulabat ut etiam totum aedificium
p. 224. pariter infirmaretur et dissolveretur, *sicut sancta Scriptura de generatione ante diluvium clare docuit, dicens [1]: « Omnis caro corruperat viam suam super terram ». Et Artifex mundi, cum videret aedificium, quo altius adscenderet, eo debilius propter opera peccati fieri, illud per diluvium diruit, alio fundamento quod priori excellentius erat posito, id est, Noe, tertio iusto, loco Adami primi peccatoris. Scriptum est enim Abel et Henoch et Noe iustos fuisse ante diluvium; et Abel occisus est, et Henoch translatus est, et Noe servatus est, et una cum eo et propter eum uxor et filii nurusque eius. Sed quia ille lapis, id est, Noe iustus, etiam ex primo monte abscissus erat, ii

[1] *Gen.*, VI, 12.

qui super eum aedificati erant, parvo tantum tempore in fide Dei bonaque conversatione permanserunt. Cum autem inique agere coepissent, non solum peccatores facti sunt sed etiam contra Deum rebellare meditati sunt, ut Deus non posset, si vellet, eos propter peccatum ipsorum sicut primos homines punire. Quapropter coeperunt aedificare sibi turrim quae ad caelum pertingeret; nam quasi mente capti putaverunt Deum ratione loci tantum ipsis fortiorem esse. Hos tamen noluit per alterum diluvium perdere, aut per ignem sicut Sodomitas, sed super faciem universae terrae eos tantum dispersit, quia tulit ab omnibus, exceptis parvulis, primae linguae cognitionem et in eis posuit verba, et voces, et nomina aliarum linguarum quas non cognoscebant. Et exinde ab aedificanda turri destiterunt.

Cum vero sapiens mundi Artifex videret illud secundum aedificium, cuius fundamentum Noe fuit, iam veterascere et corrumpi, et sedimen peccati, quod in lege cum lepra comparatum est, spissius in hoc *quam in primum cecidisse, et homines non p. 225. solum in operibus corruptos esse sed etiam cognitionem Dei pervertisse et loco unius Dei veri multos falsos deos sibi fecisse, quisque in loco et populo suo et regione ubi sedem suam elegerat, ipse rursus tulit ex eodem genere humano Abraham, tertium lapidem, super quem aedificavit, non universam mundi domum sicut olim sed familiam tantum Abrahae, quae etiam vocata est unus populus et gens Israel. Et Artifex dimensiones domus tertiae contraxit minuitque, forsan ut haec sic servaretur nec caderet eaque ipse tanquam habitaculo uteretur. Verumtamen Deus, cum videret etiam domum veterascere et corrumpi eam non diruit sicut primam, nec dispersit sicut secundam, sed in ea fulcimenta posuit eamque vincturis colligavit, quae fuerunt prophetae, et sacerdotes, et reges, et iusti, ad firmandam eius instabilitatem. Sed nec ita mansit *domus* cui eximia cura providebat, et quia valde vetus et corrupta erat per peccatum, constanter ruebat et cadebat et vario modo evertebatur et disperdebatur, nec fulcimenta potuerunt eam sustinere nec vincturae impedire quin ad ruinam spectaret.

Sapientissimus domus Artifex, cum videret aedificium familiae Abrahae eo modo conservari non posse, nec totum populum habitaculum sibi fieri posse, ne omnino deficiat sibi locus, vel, ut ipse ait, ne forte ubi caput reclinaret non inveniretur, illa

enim sententia fortasse de ipsis dicta est, ex universa domo p. 226. Iacob duas tribus tantum, Iudae scilicet *et Beniaminis sibi elegit. His praefecit reges ex familia David qui, e tribu Iudae oriundus, in figura sibi aedificaverat civitatem parvam Ierusalem ubi posuit thronum imperii sui et successionem familiae suae; et cui testimonium Deus dedit, dicens[1]: « Inveni David, filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas ». Sed neque hoc aedificium, quod pro fundamento habuit virum iustum qui vocatus es cor Dei, inconcussum et solidum et incorruptum permanere potuit. Haec vero ita acciderunt non quod Artifex imperitus erat aut nesciebat fodere et alta fundamenta super petram iacere, sed quia lapides, in fundamentis positi, ex monte primo et vetere humani generis natura abscissi erant, et debilitas in iustitia inclinatioque ad peccatum non solum Adamo, sed etiam toti generi ex eo propagato, inhaerebant. Quapropter, etiamsi iusti nonnulli, qui per magnam fortitudinem et laborum perpessionem, non autem quia natura ad haec facile tendere cupit, in iustitia et cognitione Dei manserunt, in hoc genere interdum inventi sint, attamen, cum non quilibet homo amet laborare aut sustinere pondus afflictionum quibus posset in Deo manere eiusque voluntates facere, multi corrupti erant et inquinati, perpauci vero apud Dominum permanserant. Hi tamen, non virtute sua propria, sed a Deo evidenter servati sunt, ne una cum ceteris per peccati p. 227. fluctus abriperentur, quemadmodum Deus clare *docuit per ea quae dixit ad Eliam prophetam[2]: « Ecce dereliqui mihi septem millia virorum qui non incurvaverunt genua ut Baal adorerent ».

Sed quia omnis lapis, qui assumptus erat ut alterius aedificii fundamentum esset, e primo aedificio erat, sicut dixi, eique vis peccati ex concupiscentia, non quidem per voluntatem sed propter naturae debilitatem, inhaerebat, reliqui qui aedificabantur, in eumdem errorem et peccatum propter eius infirmitatem omnes ruebant. Quid postea fecit sapiens Architectus Creatorque totius generis humani? Cum variis multisque modis per rerum experientiam omnes homines docuisset nullo modo fieri posse ut lapis, qui alterius aedificii fundamentum esse valeat, ex aedi-

[1] *Act.*, XIII, 22. — [2] III *Reg.*, XIX, 18.

ficio antiquo tantum sumeretur nisi ex ipso virtutem acciperet, qua alterius aedificii initium esse et omnes super ipsum aedificandos absque mutatione et concupiscentia et illecebris peccati servare posset, misit Filium suum unigenitum per quem fecit et saecula et cuius virtutis verbo omnia ad exsistentiam adduxit. Ille descendit ab eo sine mutatione et, secundum verbum apostolicum, semetipsum exinanivit, et ex artifice factus est lapis per incarnationem et inhumanationem suam, et de monte familiae Abrahae sine manibus abscissus est. Hunc posuit in fundamentis aedificii ut sit, sicut dixit propheta, lapis angularis et fundamentum. Ille, etiam postquam factus est, idem utriusque respectu mansit; nam, quia factus est, positus est in fundamentum aedificii, et, quia est, constanter in aedificio habitat illudque perficit ut fastigium eius ad Deum et Patrem perducat: et iam nec renovatio eius veterascit nec firmitas eius concutitur, quia lapis in fundamentis positus non est homo *vetus p. 228. sed Deus recenter inhumanatus. Inhumanatus vero est ut sibi aedificium apte imponeretur et ipse cognationem naturalem cum ceteris lapidibus super seipsum aedificandis contraheret. Et quia non solum carnali generi Abrahae, sicut Abraham, sed etiam omnibus hominibus factus est fundamentum, idcirco vocatus est lapis angularis, qui solet parietes inter se colligare, sicut docuit etiam propheta [1]: « Ecce ponam in Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum ». Et David etiam dixit [2]: « Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput aedificii ». Et eius verba elucidans Redemptor noster dixit [3]: « Hic est lapis, quem vos aedificantes reprobastis, qui factus est in caput aedificii ». Et Daniel videt hunc lapidem abscissum de monte sine manibus [4]; et montem, ut opinor, vocat vel universam naturam humanam vel familiam Abrahae ex qua incarnatus Deus lapis nuncupatus est, qui dicitur abscissus sine manibus quia sine coniugio conceptus et natus est. Si quis autem, haec aliter interpretari volens, diceret montem symbolice esse Patrem, quia immutabilis est et immobilis, et lapidem sine manibus abscissum esse Unigenitum, qui sine materia et auxilio extrinseco ex eo natus est, de hoc querendum non esset.

Hac de re Apostolus etiam dixit [5]: « Fundamentum aliud

[1] Is., XXVIII, 16. — [2] *Ps.* CXVII, 22. — [3] *Act.*, IV, 11. — [4] Cf. DAN., II, 34. — [5] I *Cor.*, III, 11.

nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus »; et ut ostenderet differentiam inter hunc lapidem, qui factus est fundamentum huius aedificii, et illum primum qui positus est in aedificio vetere, dixit[1]: « Primus homo de terra, terrenus; secundus homo, Dominus de caelo. Qualis ter- p. 229. renus, tales et terreni; et qualis *caelestis tales et caelestes. Et sicut induimus imaginem terreni, induamus et imaginem caelestis ». Ille ergo qui, ut dixit Apostolus, nobis factus est principium secundae nativitatis, est secundus homo, Dominus de caelo, qui etiam in Scriptura appellatus est lapis, quia in fundamentis aedificii positus est et, loco Adami, capitis carnalis generis, caput et initium familiae spiritalis factus est, et, dum per Adamum facti sumus homines, per eum et in eo filii Dei et Patris reputati sumus. Adamus enim, primus homo, factus est cum non exsisteret; ille vero secundus homo qui est Dominus de caelo, factus est cum exsisteret, quia factus est pro aliis non ut ipse exsistentiam acciperet. Erat enim Deus secundum naturam suam, nec illi necesse erat fieri quod erat, sed nobis et propter nos factus est quod sumus ut nos filios Patris deosque caelestes faceret. Ipse idcirco factus est homo ut nos etiam fieremus quod ipse est, hoc est, filii Dei et dii. Etenim, per novam permutationem, quae mirabiliter effecta est, quia ipse factus est homo, homines per baptismum filii Dei fieri potuerunt.

Ipse tamen non factus est cum non exsisteret, sicut Adamus, Noe, Abraham, Moyses, David, ceterique prophetae, quorum alii in fundamentum aedificii, alii vero in eiusdem vincturas et fulcimenta facti sunt. Hi enim, quia facti sunt cum non exsisterent, non facti sunt aliquid immutabile; quapropter nemo eorum vocatus est veritas sicut ipse solus de se ipso dixit[2]: « Ego sum veritas ». Ipse enim solus, sicut docuit, est veritas perfecta et genuina, quia non factus est cum non exsisteret, nec, cum factus est, mutationem passus est; et, quia non mu- p. 230. tatus est, potuit eos, qui exsistebant [denuo][3] creare. *Liber est enim Deus, potestatem habens nullo coarctatam, non solum non voluntate, sed neque natura. Quapropter ubicumque esse vult, ibi invenitur absque mutatione id quod vult, iuxta vim illius: « Ego sum veritas », id est, ego sum immutabilis. Et

[1] I *Cor.*, xv, 47-49. — [2] Iohann., xiv, 6. — [3] Textus corruptus videtur.

quemadmodum, cum legi voluntarie se subiecerit, potestas eius sub lege non facta est: ipse enim dator legis erat, ita, cum formam servi sumpsit, servus naturaliter non factus est, quia liber est secundum naturam. Ea enim reputanda est vera libertas quae, cum fit ubicumque vult, ab essentia sua non mutatur; quia si mutaretur cum progreditur ad operationem, iam non esset libertas; et rursum, si mutationis timore non progreditur, certam non habet suam firmitatem in opere libertatis. Etenim, si quis putaret Deum non ledi quia ab iniuriis recedit et idcirco esse immutabilem quia non accipit « fieri », neutrum satis esset ad demonstrandum eum esse supra iniuriam et mutationem. Quod si vero Deus vult fieri quod et ipse fecit, cum etiam immutabilis in suo « fieri » maneat, inde cognita est veritas immutabilitatis eius.

Si quis cupiat haec subtilius explorare, Deus non manifestatus est nobis immutabilis ex suo « esse », sicut ostensus est nobis *immutabilis* ex suo « fieri ». In illo enim ex auditu tantum cognovimus eum esse immutabilem, in hoc autem, « fieri » nempe, ex experientia rei; quia, etiam postquam factus est, se esse veritatem nobis praedicavit et dixit. Et rursus, per unum ex prophetis docuit [1]: « Ego sum, et non mutatus sum »; quomodo haereticus putavit *mutationem ei accidisse p. 231.
quia factus est, aut eum, si non mutatus sit, sicut dicit, non factum esse? Semper enim est Deus, et per hoc cognitum est quod exsistit; factus est autem homo in plenitudine temporum, et in hoc ostensum est quod immutabilis est. Itaque factus est non solum ut nos denuo crearet, sed ut et veritatem immutabilitatis suae nobis ostenderet, quia experientia, melius quam auditus, veritatem rei patefacere potest. Quomodo ergo auderet quis negare Deum factum esse hominem? Ecce enim per hoc veritas immutabilitatis eius maxime revelata est. Quod si in eo mutationem cogitarem ubi ego confiteor eum factum esse, forsan ab eo qui non credit sicut ego recte reprehenderer; si vero verbum « fieri » ut argumentum immutabilitatis adhibeo, cur haereticus me frustra redarguit et, per me, Iohannem qui dixit: « Verbum caro factum est », quamvis non addiderit « et non mutatus est », siquidem, ut puto, « fieri » non

[1] Mal., III, 6.

quasi mutationem intellexit? Si ille, qui recte non credit eum factum esse, dicat « fieri » apud hominem mutationem indicare, sciat « fieri » apud Deum ita non esse, sed apud eum modo singulari considerandum esse. Et sicut Deus possidebat « esse » cum non factus esset, ita et debemus credere eum factum esse absque mutatione. Res vere mirabilis est et ineffabilis « fieri » Dei; et licet non debeamus cogitare aliquid maius aut minus in Deo esse, eius « fieri » tamen maius quam « esse » eius investiganti apparet. Etenim, ex eius « esse » didicimus solummodo eum increatum esse; ex eius « fieri », vero, multa discere possumus: primo, exsistentiam eius, quia ex eius « fieri »
p. 232. didicimus eum exsistere, nam dixit* Evangelista « Verbum », et deinde addidit « caro factum est »; rursum, cognovimus eum immutabilem esse, quia, postquam factus est, Evangelista dixit eum in nobis ut Deum habitavisse; rursum, *cognovimus* eum esse liberum, quia, ubicumque esse vult, invenitur sicut vult; et praeterea, eum esse fortem, non solum in operibus suis sed etiam in semet ipso, quia illud « fecit creaturas » non est tam mirabile, ei qui investigare scit, quam hoc: « factus est una ex creaturis suis ». Rursum, eum esse bonum melius cognovimus, quia bonitas eius non apparuit in hoc quod ipse nos fecit, sicut apparuit in hoc quod ipse, quo magis benefaceret, factus est sicut nos; item, eum valde diligere homines, quia tantum eos dilexit ut ipse factus sit *sicut* illi et illi *sicut* ipse: quae timorem movent si modo cogitantur.

Haec aliaque cognovimus ex eo quod Deus homo factus est. Cur denegaremus confessionem quae tales doctrinas nobis proponit, et fontem, qui has aquas vivas nobis scaturire fecit, obstrueremus? Itaque ex experientia apparet plus utilitatis ex « fieri » Dei quam ex eius « esse » nobis advenisse, et eius « esse » etiam per eius « fieri » revelatum esse; nam, donec fieret caro, non cognoscebamus eum exsistere et habere Patrem Deum. Si quis eius « fieri » reiicere voluerit, simul cum eo eius « esse » aperte negabit; et si quis, dispensationis virtutem ignorans, dicat: Ecce Iohannes primum scripsit eum exsistere, et postea eum factum esse, audiat a nobis quod *Iohannes* dixerit eum, etiam postquam factus est, exsistere. Etenim, post inhumanationem, passionem, resurrectionem et adscensionem eius ad Patrem, posuit illa: « In principio erat

Verbum », et alia cum illis scripta, ut sciremus quod non liceat dicere eum exsistere sine eius carne, vel eum factum esse sine eius divinitate. Haec enim est virtus unionis quae facta est, ut nemo possit *eius « esse » ab eius « fieri » aut eius p. 233. « fieri » ab « esse » eius in unione separare, quamvis certum sit eum ante tempora exsistere et in tempore factum esse. Si quis vult eius « fieri » tollere, eius « esse » pariter reiicit; et si eius « fieri » alieno modo explicat creditque eum non vere factum esse, eius « esse » pariter alieno sensu intellegendum est, nec nobis ostendit eum exsistere increatum. Si vero eius « esse » essentiam nobis revelavit, eius « fieri » aliter explicandum non est: humanitatem eius nobis manifestavit, nec decet quidquam aliud cogitare. Si credere debeamus eius « esse » etsi incomprehensibile sit, credamus etiam eius « fieri » licet inexplicabile sit. Ecce enim cum dicimus eum exsistere, non cogitamus eum exsistere quia factum. Ergo, cum profitemur eum factum esse, ne sentiamus eum factum esse per mutationem. Ille enim qui initium quoad « esse » non habet, mutationem per suum « fieri » pati non poterat. Neque interpretandum est eum sumpsisse hominem. Scriptum enim non est eum hominem sumpsisse, sed dictum et predicatum est eum factum esse hominem: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis », ubi pars pro toto homine ponitur. Et quemadmodum cum dicimus eum esse, per hoc alterum esse cum eo non intellegimus, ita et cum confitemur eum factum esse, nobis non licet, quia factus est, alterum esse cum eo sentire. Etenim non dicitur factus quia homo ab ipso distinctus factus est, sed haec de eo scripta sunt quia ipse revera factus est. In hoc loco Nestoriani et Ariani consentiunt. Etenim Ariani, cum dicunt Filium existere, *intellegunt eum, quia factus est, p. 234. exsistere dicuntque eum exsistere quia factus est; quasi non quidquid est, eo quod factum est, exsisteret: non solum caeli, et terra, et maria, et alia genera magna et corpora valida, sed etiam culices, et pulices, et viliora volatilia, et reptilia, et omnia istis similia. Si omnia creata exsistunt quia facta sunt, et Filius etiam, sicut hi dicunt, exsistit quia factus est, non vero exsistit quia « est », sicut Pater, ostendant tunc blasphematores isti in quo Filius a ceteris creaturis differat? Num quia exsistit eo quod factus est? Sed haec etiam exsistunt post-

quam facta sunt. Si *dicant* quia Spiritus est et Deus; ecce etiam angeli creati sunt spiritus et ab hominibus [1] etiam dii vocati sunt. Omnes isti tamen facti sunt per voluntatem Dei et famulatum et electionem, et deinde ita vocati sunt; nam differentia infinita agnoscitur inter eos qui exsistunt quia facti sunt et illum qui exsistit quia « est ». Patet enim, sicut dixi, omnem creaturam exsistere quia facta est. Non autem ita essentia; sed ipsa exsistit quia est, et nihil aliud de ea dici potest. Confitemur Patrem existere quia exsistit; et credimus Filium exsistere quia genitus est; item Spiritum sanctum exsistere quia a Patre procedit et de Filio accipit. His quidquam addere aut ab eis minuere non licet. Nemo igitur recipere debet id quod intellegunt Nestoriani interpretantes Deum factum esse hominem quia hominem assumpsit. Sed a nobis cogendi sunt, sicut Ariani, ut quemadmodum legunt ita et intellegant. Etenim, si talis est sensus illius « factus est », et pro illo hoc
p. 235. « assumpsit » intellegitur, id convenit non solum Christo* sed etiam aliis iustis quos omnes Deus segregavit, elegit et assumpsit, quosdam ad prophetiam, quosdam ad regnum, alios ad sacerdotium, alios ut sibi familiares essent; et tunc de unoquoque horum dicendum esset quod, quia a Deo assumptus est, ibi Deus homo factus est.

Hoc tamen neque cogitandum neque dicendum est, sicut ex libris sanctis clare ostenditur. Scriptum est enim Deum sumpsisse pulverem et Adamum formasse; neque tamen dictum est Deum, ob hanc assumptionem, ibi factum esse pulverem aut inhumanatum esse. Ita et dictum est ex Adamo costam sumpsisse eamque in mulierem aedificavisse; nec rursus hic cogitatur Deum, quia sumpsit, factum esse, nec licet « assumptionem » per « fieri » explicare. « Immisit Dominus Deus soporem in Adamum; cumque obdormivisset, sumpsit unam e costis eius, et replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus Deus costam, quam sumpserat de Adamo in mulierem [2] »; cogitare tamen non licet Deum factum esse, sive quia sumpsit, sive quia aedificavit. Item, dictum est [3]: « Sumpsit Dominus Deus hominem quem formaverat, et posuit eum in paradiso deliciarum ut operaretur et custo-

[1] Legendum videtur: et « quidam ex hominibus »; cf. p. 156. — [2] *Gen.*, II, 21-22. – [3] *Gen.*, II, 15.

diret illum » ; neque tamen haec assumptio per unionem aut fieri explicatur. Quod si hic Deus putaretur hominem ex Maria assumpsisse, sicut sumpsit pulverem et Adamum formavit, et sicut sumpsit costam quam in mulierem aedificavit, et sicut sumpsit hominem quem in paradiso posuit, non erat dicendum : « Verbum caro factum est », quod propter obscuritatem aptum erat suscitare quaestiones, generare querelas, inducere diversas opiniones in iis qui legunt et audiunt, sed aequum erat etiam hic clare scribere : « Verbum hominem tulit », sicut sumpsit costam, sumpsit pulverem, sumpsit hominem ; quia nusquam *solet p. 236.
sancta Scriptura assumptionem pro « fieri » ponere, aut « fieri » pro assumptione. Ecce enim Deus sumpsit Abraham eiusque familiam ex Ur Chaldaeorum et adduxit Ḥarran, et inde in terram Canaan perduxit [1] ; item, posteros eius per Moysen ex Aegypto sumpsit eosque reduxit in terram quam ei promiserat ; sumpsit etiam David ex ovibus, quem exaltavit et regem fecit, et ex pastore ovium ducem hominum constituit ; sumpsit et discipulos quos ex piscatoribus fecit apostolos ; simili modo, sumpsit et Paulum quem ex zelatore legis in praeconem evangelii segregavit ; attamen apud unumquemque horum non licet sentire aut docere plus quam scriptum est. Scriptum est etiam de Henoch [2] : « Placuit, et Deus sumpsit eum », et Ezechiel de se ipso dixit [3] : « Spiritus sumpsit me, et abduxit me, et fui inter terram et caelum » ; apud neutrum horum tamen scriptum est Deum factum esse, aut incarnatum, aut inhumanatum. De eo enim, quia alium sumpsit aut segregavit aut elegit in aliquod opus, talia nunquam dicta sunt. Quod si hominem assumpsisset, sicut hi dicunt, id facilius esset scribere quam illud : « Verbum caro factum est ». Cum autem Apostoli, Evangelistae, et Patres dixerint tantum eum factum esse, et incarnatum, et inhumanatum, eorum verbis assentiamur et cum eis dicamus ea quae scripta sunt. Clamemus cum Iohanne : « Verbum caro factum est » ; et cum Matthaeo [4] : « Iesu Christi autem generatio sic erat : Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto », et [5] : « Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est » ; cum Luca, id est, cum angelo [6] : « Spi-

[1] Cf. *Gen.*, XI, 31. — [2] Cf. *Gen.*, V, 24. — [3] EZ., VIII, 3. — [4] MATTH., I, 18. — [5] MATTH., I, 20. — [6] LUC., I, 35.

ritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur in te Sanctum vocabitur Filius
p. 237. *Dei », et [1]: « Concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum ». Rursus, ait Marcus [2]: « Initium Evangelii Iesu Christi, Filii Dei ». Et Paulus aliquo loco dixit [3]: « Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem »; et in alio loco [4]: « Misit Deus Filium suum factum ex muliere »; et rursus [5]: « Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, et propter peccatum »; et iterum [6]: « Assimilatus est nobis per omnia excepto peccato ». Et Petrus [7] scripsit: « Omnis spiritus qui non confitetur Iesum in carne venisse, ex Deo non est ». Rursus, sancti Patres, omnibus his verbis perpensis, dixerunt [8]: « Deus de Deo incarnatus est et inhumanatus est per Spiritum sanctum ex Maria virgine ».

Haec quidem scripta sunt, non a meris hominibus, sed ab eis in quibus Christus per Spiritum suum locutus est; nec nobis licet interpretationes alienas verbis sanctorum imponere, nec hoc « factus est » per illud « hominem assumpsit » explicare, ne ei qui id fecerit, Spiritus dicat ea quae per prophetam locutus est [9]: « O homo, quid inter te et libros mandatorum meorum? Quare assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam et proiecisti sermones meos retrorsum ». Confitemur Deum hominem assumpsisse, hoc nihil novi existimatur; nam ubique Deus invenitur homines diversis modis sibi assumpsisse. Si vero quod « factus est Deus » dubitas idque putas mutationem inducere, quia quidquid fit solet mutari, solve dubium eo quod Deus « est » cum non factus sit [10], cetera vero
p. 238. quae exsistunt, *exsistunt quia facta sunt. Ad illud: « Deus hominem assumpsit », evidenter nobis necesse non est exprimere: « et non mutatus est », quemadmodum, ubicumque scriptum est eum hominem assumpsisse, nobis opus non fuit tali locutione uti et dicere eum assumpsisse hominem eumque mutatum non fuisse; nam cogitatio mutationis non oritur quando Deus aut homo aliquid aliud assumere dicitur. Quapropter cum audimus quemdam hominem sumpsisse lapidem, vel lignum, vel

[1] Luc., I, 31. — [2] Marc., I, 1. — [3] *Hebr.*, II, 14. — [4] *Gal.*, IV, 4. — [5] *Rom.*, VIII, 3. — [6] *Hebr.*, IV, 15. — [7] Sic codex; verba sunt ex I Iohann., IV, 2. — [8] In Symbolo Nic. — [9] *Ps.* XLIX (L), 16-17. — [10] Seu « exsistit increatus ».

aliquid huiusmodi, non miramur; si vero audimus eum factum esse lapidem vel lignum admiratio et curiositas nostra excitatur, praesertim si simul dicitur eum, cum ita factus est, mutatum non fuisse; nam putamus eum aut nullo modo factum esse aliquid horum, aut, si factus fuerit, mutationem passum esse. Ita et cum audimus Scripturam docentem quod Deus hominem sumpsit ne parva quidem cogitatio contraria in nobis oritur; quod si Scriptura nobis dicat eum factum esse, cui rei suspicio mutationis inhaeret, statim nobis innuit etiam intellegendum eum mutatum non fuisse. Et quia sermo de Deo est, non autem de una ex naturis quae existere inceperunt, eius « fieri » absque mutatione intellegimus. Itaque, ubi haereticus offendit, ille qui recte credit magis aedificatur. Igitur primum considera, o homo, quis sit qui factus est, sicque cogitationem de eius « fieri » in te accipe. Si ille qui factus est creatus est, tene eum cum factus sit etiam mutatum esse; si vero Scriptura te docet eum qui est factum esse, crede merito quod ipse, cum exsistentiam habeat increatam, etiam « fieri » absque mutatione habuisse; nec scire quaeras quomodo factus sit. De Deo enim non decet sermonem habere vel quomodo exsistat, vel quomodo creaturas faciat. *Quod si de creáturis, p. 239.
quae ab eo factae sunt vel fiunt, dicere non liceat quomodo *fiant*, nec de prodigiis, quae diversimode Deus in creaturis manifestavit et manifestat, dicere non liceat quomodo *fiant*, cur de « fieri » illius, qui creditur factus absque mutatione, auderet quis investigare ad discendum quomodo Verbum caro factum sit aut quomodo inhumanatum? Audi ergo eum qui huic dicit, sicut Sarae[1]: « Numquid Deo quidquam est difficile? », et etiam angelum, qui huic respondet, sicut Virgini[2]: « Nihil est impossibile apud Deum ».

### Rursum: Sententia quinta.

Breviter igitur sententia nostra circa « fieri » Dei haec est: Quemadmodum opinamur eum exsistere et quidem non creatum, ita confitemur eum factum esse et quidem non mutatum. Et utrumque didicimus a Iohanne. Ait enim[3]: « In principio

[1] *Gen.*, XVIII, 14. — [2] Luc., I, 37. — [3] Iohann., I, 1-2.

erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum ». Quemadmodum haec non explicantur nec dicuntur de alio qui esset cum Verbo, sed de Verbo ipso accipiuntur, quod in principio personaliter erat apud Deum et Patrem, ut Deus apud Deum et ut Filius apud Patrem, ita et cum audimus Evangelistam dicentem[1]: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis », non est sentiendum hoc « fieri » alteri convenire, cui adhaesit aut in quo habitavit, aut quem induit vel assumpsit, hoc nomen « fieri » Verbo metaphorice tantum tribuendo; sed cum Libris recte credere debemus ibi Verbum « esse », hic vero « factum
p. 240. esse ». *Et quemadmodum ipsum est quoad « esse », nec alius existimatur eius loco, ita et quoad « fieri », ipsum est, nec licet alium cum eo introducere. Ipsum enim est una persona et una natura incorporata, Deus et homo, Verbum et caro, Filius et Christus, Unigenitus et Primogenitus, Dominus et Iesus. Et quemadmodum esse Deum ei tribuitur, non vero alii qui cum eo sit, ita et factum esse hominem in eo ipso manifestatum est, non autem in alio prope eum. Scriptum est enim invisibilem visum esse; et intactilis dicitur contrectatus esse[2]: « Vidimus oculis nostris et manibus nostris contrectavimus Verbum vitae; et vita manifestata est quae erat apud Patrem, et nobis revelata est »; nempe, is qui dicitur Deus verus et vita aeterna.

Non enim propter alium qui esset cum Verbo scriptum est Verbum exsistere; neque hic licet ei tribuere « fieri » eo quod homo cum eo factus sit. Sed ad ipsum revera pertinet utrumque, « esse » scilicet et « fieri »: esse, quia genitum est sine initio a Patre; et fieri, quia natum est cum initio ex Matre. Sicut Deus est secundum suum « esse », ita et homo secundum suum « fieri »; et sicut quoad suum « esse » non potest numerari duo, ita nec in suo « fieri » debet cogitari duo. Et quemadmodum in « esse » eius non est alius Deus cum eo, sed Pater solus ex quo est, ita et in « fieri » eius ei non adhaeret alius homo cui primum agnita sit persona aut
p. 241. natura. Etenim, naturae humanae dicitur *Deus per Virginem

[1] IOHANN., I, 14. — [2] Cf. I IOHANN., I, 1-2.

adhaesisse, non autem alteri homini qui existimetur ex natura humana assumptus.

Quod si inveniuntur quidam ex Patribus qui passim usi fuerint his verbis: « Deus adhaesit homini », vel: « assumpsit hominem », vel: « habitavit in homine », vel aliis eiusdem generis, de natura humana locuti sunt, non vero de persona cuiusdam hominis in quo, ut aiunt Nestoriani, Deus placito tantum, sicut in uno ex sanctis, habitavit. Item si *dicunt quod* unitus est, non *intellegunt unitum esse* cuidam homini qui, secundum suum esse numerumque, primum agnitus fuerit et deinde existimatus est unum cum eo esse; nam « carni et sanguini », quibus natura humana constituitur, non autem personae cuiusdam hominis, Paulus dixit Deum Verbum participasse. Etenim, naturam humanam honoravit, non autem hominem quemdam de natura humana sumptum exaltavit et Deum fecit. Naturam humanam adoptione filiorum dignam fecit, non vero unum hominem tantum. Omnium nostrum vocatus est primogenitus, et nos fratres ipsius per gratiam, non autem unum hominem segregavit et fratrem sibi fecit. Et nos, ut ait Paulus, facti sumus templa eius; sed non alius homo, extra eum agnitus, dicitur ei factus esse templum. Omnium nostrum factus est primitiae, non vero unius. Omnium nostrum primus in omnibus factus est, non unius. Nam bona, quae per revelationem in carne advenerunt, nobis omnibus parata et promissa sunt, non vero uni homini. « Nos resuscitavit et consedere secum fecit in caelo in Christo Iesu [1] ». Et iterum [2]: « Non servi estis, sed filii; si autem filii, et haeredes Dei per Christum »; et rursus [3]: « Si compatimur, et conglorificabimur »; et [4]: « Si sustinebimus, et conregnabimus »; et iterum [5]: « Sicut induimus imaginem terrenorum, induamus et imaginem caelestium ». Rursus, Iohannes evangelista ait [6]: « Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios *Dei fieri, his qui non ex sanguine, p. 242. neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt ». Deinde causam, propter quam et per quam facti sumus filii Dei et Patris, immediate subiungit, dicens [7]: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis », quasi di-

[1] *Eph.*, II, 6. — [2] *Rom.*, VIII, 17. — [3] *Rom.*, VIII, 17. — [4] II *Tim.*, II, 12. — [5] I *Cor.*, XV, 49. — [6] IOHANN., I, 12-13. — [7] IOHANN., I, 14.

ceret, quia ipsum factum est homo, facti sumus filii Patris eius, et fratres eius filiationis: « Non confusus est fratres suos eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis [1] ».

Haec ergo perpendentes sciamus omnia ad nos omnes spectare, non autem de uno dici. Non enim unum hominem Filius Dei fratrem sibi fecit; neque unus dicitur conregnaturus et conglorificandus; neque unum consedere fecit super thronum: duo enim filii cum Patre non sedent; neque unus tantum in Filium credidit homo cui cum eum receperit dedit potestatem filium Dei fieri. Etenim Iohannes non dixit: Hominem, qui eum recepit, fecit filium, sed: « his qui crediderunt in eum et receperunt eum, dedit potestatem filios Dei fieri ». Sensus huius verbi ad multos spectat, ad nos omnes scilicet, qui per revelationem Filii filiorum adoptione honorati sumus. Quapropter quicumque baptizatur et Spiritum accipit, fit filius atque haeres Dei et Patris cum Christo. Naturam ergo humanam redemit et renovavit Christus, non vero unum hominem ut hi *haeretici* dicunt. Omnes enim per eum iustificati sumus, omnes mundati sumus, omnes sanctificati sumus. Omnes facti sumus liberi ex servis, redempti ex captivis, subditi ex rebellibus, pacifici ex iratis, propinqui ex longinquis, amici ex inimicis, dilectores ex osoribus, et familiares ex extraneis. Omnes
p. 243. *exaltati sumus, omnes glorificati sumus; omnes facti sumus ex passibilibus impassibiles, ex mortalibus immortales, ex corruptibilibus incorruptibiles, ex terrenis caelestes, ex corporalibus spiritales, ex peccatoribus iusti, ex provocantibus ad iram reconciliati, ex pollutis sancti, ex exsulibus familiares. Etenim nobis omnibus, si volumus, ea quae perdiderat Adamus, caput generis nostri, reddita sunt. Omnes facti sumus filii per Filium qui factus est homo; omnes deificati sumus per unum Deum inhumanatum. Quod si haec ita non se habent, si ita non iudicandum sit de illis quae dispensatio meruit, ostendant *haeretici* quando hic homo, quem dicunt, abierit et redierit, quando perditus sit et inventus, quando peccaverit et deinde iustificatus sit, quando exacerbaverit et deinde reconciliatus sit, quando pollutus et deinde sanctificatus, quando inimicus et deinde pacificus, quandoque egerit cetera superius in ordine

[1] *Hebr.*, II, 11-12.

singillatim enumerata. Et si erubescunt talia de eo sentire et dicere, vel si haec cogitant, sed timent manifestare, confiteantur nobiscum quae recta sunt, et acquiescant sicut nos sensui et menti Librorum sanctorum et interpretationibus Patrum qui eorum verba recte intellexerunt.

Haec ergo omniaque eiusdem generis naturae humanae gratis data sunt, non autem personae unius hominis. Nam Deus per incorporationem suam naturam nostram, non vero unum ex filiis hominum, honoravit. Homines, quia renati sunt, per gratiam divinam filii Dei facti sunt, sed non unus homo *tantum* factus est filius per gratiam et Deus novus. Homo enim naturalis non factus est Deus creatus, o haeretice, sed Deus substantialis factus est homo mirabilis. Neque unus homo honoratus est, adoptionem filiorum recipiendo; sed nos omnes ea digni facti sumus, quia Filius Dei homo factus est. Ille enim *qui est consubstantialis Filius, Verbum, Deus, factus est p. 244.
filius Abrahae secundum carnem; et qui natura sua Dominus David est, etiam filius David appellatus est. Nam Christum, qui secundum carnem ex Iudaeis est, Paulus praedicavit [1] « benedictum et Deum super omnia ». « Verbum caro factum est et habitavit in nobis », et qui factus est caro per exinanitionem, vocatus est filius Abrahae et filius David; adscriptus est etiam in genealogiis, et ei consociati sunt christi et fratres filii adoptivi, et apparuit in terra et cum hominibus conversatus est. Deus enim qui in Virgine et ex ea inhumanatus est, non vero homo merus et naturalis, per nativitatem humanam in mundum intravit. Hunc adorare iussi sunt angeli, non autem hominem quemdam ipsis minorem; *hunc, inquam,* qui noviter Bethlehem exivit, cum haberet processionem ab essentia sine initio et a diebus aeternitatis, *hunc* qui formam servi sibi assumpsit sed non perdidit, quam habebat, formam Dei. Etenim quia aliquis homo natus est, Deus non dictus est factus; nam impossibile est Deum fieri hominem eo quod alius creatur, quemadmodum in nativitate Moysis, qui appellatus est Deus, non dictum est Deum factum esse hominem; neque etiam in nativitate unius ex iustis qui erant sancti, mundi et Deo induti, hoc de Deo scriptum est.

[1] *Rom.*, IX, 5.

Quod si Deus posset fieri homo ex eo quod homo quilibet natus sit, fortasse ab initio mundi cum quocumque homine nascente factus esset homo; sin cum omnibus, saltem cum primo homine qui nova formatione honoratus est. Et si asserunt: Hic absque coniugio conceptus est, et hac de causa in nativitate eius Deus dicitur factus; ecce et Adamus et Eva sine
p. 245. coniugio creati sunt, cur non dictum est *in eorum creatione Deum factum esse hominem? Si non decebat eum omnes natos assumere, assumpsisset saltem electos et sanctos, qui creati et nati sunt vario modo per generationes. Et inde sequeretur, secundum vanam haereticorum fabulam, Deum non una vice tantum sed pluries, *id est* cum omnibus iustis, factum esse hominem. Et cur, o stupidi, dicit Paulus [1]: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus? » Sed respondent *adversarii*: Assumptio huius hominis tantum dicta est nativitas Dei, ut hic *homo* per illam honoraretur et exinanitio Dei revelaretur. Sed ecce, Deus iustos multos, ut saepe dictum est, in omnibus generationibus elegit et assumpsit. Cur ergo non dictum est apud quemcumque horum Deum factum esse hominem, aut se exinanisse et assumpsisse formam servi, aut ditissimum factum esse pauperem, aut Altissimum se humiliasse? Quod si dicant hunc hominem propter iustitiam suam et gratiam ei concessam, maiorem et sublimiorem fuisse ceteris omnibus, sciant et iustos alios aliis excellentiores fuisse, non solum quoad voluntatem eorum sed etiam propter dona accepta. Et si assumptio illius hominis nativitas Dei existimata est quia iustitia eius aliorum iustitiam superabat, hic ordo etiam apud alios servandus esset.

Res autem ita se non habet; sed quemadmodum in « fieri » cuiusvis hominis, homo agnoscitur quod ipse homo fit, non autem quod alius fit in huius « fieri », ita his: « Verbum caro factum est », didicimus ipsum factum esse pro nobis, non vero alterum factum esse et assumptum in « fieri », *nec « fieri » et
p. 246. assumptionem alterius Verbo nomine tantum tributa esse. Scriptura sancta, cui imprimis credendum est, nusquam nos docuit Deum factum esse hominem nisi cum fieret ex Virgine. Et

[1] *Gal.*, IV, 4.

quemadmodum, ubi scriptum est eum sumpsisse hominem, non licet dicere eum factum esse hominem, vel ubi sumpsisse pulverem, pulverem factum esse, vel ubi costam sumpsisse, in costam transformatum esse, ita neque quod hic dicatur factus, licet cogitare eum sumpsisse alterum; sed cum Evangelista confiteri debemus ea quae sibi, id est, Spiritui Dei, qui per Iohannem nobis revelavit mysterium inhumanationis, dicere placuit. Nam de utraque Verbi nativitate, divina scilicet et humana, Spiritus Dei nos erudivit; alioquin non constaret Deo esse Filium consubstantialem, quemadmodum ipse Filius aperte dixit [1]: « Manifestavi nomen tuum hominibus »; et [2]: « Nemo novit Patrem nisi Filius; neque Filium quis novit nisi Pater et cui voluerit Filius revelare ». Et sicut incompertum esset eum exsistere, ita nec revelatum esset eum factum esse. Sed quemadmodum illud accipimus licet non intelligamus, ita et hoc debemus credere etiamsi non assequamur; et, praeter factum esse, etiam unde factus sit confiteri debemus, quia et hoc clare in Libris ponitur. Et sicut non liceret dicere unde factus sit nisi illud nos Scriptura aperte doceret, ita et nunc quod clare dixit eum factum esse et unde factus sit, *confes- p. 247.
sionem utriusque recusare non debemus, sed *ab inquirendo* quomodo factus sit plane abstinendum est. « Esse » enim apud eum est naturale, « fieri » vero supra naturam. Et si quod huic congruit a nobis non apprehensum est, quomodo illud quod mirabiliter et supra ordinem naturae effectum est, attingere posset scientia nostra?

Scripserunt quidam ex sapientibus profanis de creatione et generatione hominum generumque irrationalium, et multis *argumentis* redarguitur eorum scientia quae non potuit assequi veritatem, et quod ex opinione tantum finxerint et dixerint quod sibi placuerat. Rursum, ex experientia et successiva traditione constat eos vera non dixisse, eo quod alius alii contradixerit et scripserit quisque contra proximum suum, nitens opinionem suam stabilire. Quod si scientia humana assequi non potuerit quomodo caro ex carne facta sit, vel qua via creatura aliqua ex alia sibi simili creata sit, quomodo apprehendere posset eum qui exsistit factum esse et tamen remansisse quod erat. Numquid

[1] Iohann., xvii, 6. — [2] Cf. Luc., x, 22.

potest mens illa, quae in carne languescit et agitatur, cognoscere quod soli Deo apertum est? Debemus igitur quod scriptum non est vitare, tenere autem et credere quae scripta sunt. Qui enim ea quae scripta sunt confitetur, reprehensionem avertit a se sibique apologiam adversus quemlibet accusatorem parat. Dic ergo cum Iohanne evangelista: « Verbum caro factum est », et quia non posuit modum quo factum est, noli quidpiam addere. Rursus, clama cum Paulo[1]: « Misit Deus Filium suum factum ex muliere », et rursus[2]: « Misit Deus Filium suum in simi-
p. 248. litudinem *carnis peccati, et propter peccatum ut damnaret peccatum in carne sua »; sed ne quaeras scire quomodo missus fuerit qui omnia implet et in omni loco est, vel quo missus fuerit cum nullus locus ab eo vacuus sit, vel quomodo mitti potuerit cum totus in Patre sit et Pater etiam totus in eo agnoscatur. Huiusmodi enim indagationibus fides non invenitur, sed quae habetur penitus tollitur. « Fieri » enim hominis non est mysterium, etiamsi putetur sine coniugio natus; et si id non apprehendatur, non inde est quod mysterium sit, sed quod opera Dei incomprehensibilia sint. Est autem prodigium, quod non solum hominibus sed etiam virtutibus caelorum omnibus admirationem movit, Deum in utero habitasse, in vulva inclusum fuisse, carni humanae unitum esse, incarnatum et inhumanatum esse, et puerum ex muliere exivisse. Scriptum est eos qui Bethlehem eum natum viderunt, ibi ei laudes clamasse quia admiratione repleti erant propter prodigium quod viderant. Debet etiam omnis homo vivo intellectu praeditus ita agere, si capax sit hoc prodigium percipiendi; debet a se excutere somnum neglegentiae et dormitionem quae ex errore solet in mente oriri, et divagationem cogitationum quae ex ignorantia nos perturbat, et meminisse dumtaxat quis sit qui factus est, et propter quem factus est, id est, Deus propter homines homo, forma Dei propter servos rebelles forma servi, liber dans capitationem pro eis qui ipsum tributo servitutis fraudaverant, qui nihil indiget experiens necessitates ut eos qui semper fuerant indigentes a necessitatibus liberaret, impassibilis qui sub passionibus factus est ut passibiles supra passiones elevaret,
p. 249. immortalis qui mortem subiit *ut mortales a morte solveret.

[1] *Gal.*, IV, 4. — [2] *Rom.*, VIII, 3.

Huiusmodi rerum memoriam semper in nobis excitare debemus: memoriam scilicet exinanitionis Plenissimi, humilitatis Altissimi, servitutis Regis, « fieri » illius qui est, nativitatis illius qui genitus est, educationis illius qui est perfectus, passionum Impassibilis, mortis illius qui immunis est a morte, ita ut, his cogitationibus illuminati, admiratione scientiaque divina repleamur. Relinquamus ergo illud: « Verbum caro factum est », in Scriptura positum, sicuti est; neque minuamus neque coarctemus per interpretationem quae illud non decet; qui enim prodigium interpretatur, evidenter minuit eius admirationem, simul atque ostendit illud non esse prodigium. Quapropter illa: « Verbum caro factum est, et mansit Deus », quamdiu non explicabuntur, admiratione nos implebunt, movebunt in nobis stuporem, augebuntque in nobis laudem et gratiarum actionem erga eum qui factus est. Etenim si Deus dicatur hominem sumpsisse tantum, hoc nimis imperfecte ostendit potentiam et charitatem Dei; non autem si Deus credatur hominem factum esse absque mutatione. Nam quod « factus est » charitatem eius ostendit; quod vero « factus est cum exsisteret », et quod « cum factus sit non est mutatus », virtutem eius manifestavit; illud « factus est » voluntati eius convenit, hoc autem « non mutatus est » verae firmitati immutabilitatis eius, quam habet naturaliter, congruit. Et quia nulla contrarietas in Deo est, natura voluntatem non cohibet ne velit homo fieri, nec voluntas vim infert naturae, ut cum fieret, mutaretur ab eo quod est Deus. Huiusmodi rebus ostendit se nihil recusare ut hominem vivificaret. Et quia est Deus naturaliter, *mansit id quod est etiam in p. 250. quantum homo factus est. Nam immutabilitas ad naturam eius, « fieri » vero ad voluntatem et charitatem eius pertinet. Et quia immensus est amor eius, forsan mutari propter nos non recusasset, si natura eius capax mutationis fuisset. Nunc autem, natura sua in bonis essentialibus quae naturaliter habet permanente, per voluntatem fecit ea quae amorem suum decebant et misericordiae suae divitiis conveniebant. Et quia non sustinuit imaginem suam extra seipsum videre, inhumanatus est et sibi sumpsit similitudinem nostram; ille qui, ut liber, formam Dei habebat, servi similitudinem fecit suam. Et quia, ut dixi, immutabilitatem habet naturaliter, mansit, etiam ubi factus est, in immutabilitate quam habet, quia ut Deus agnoscitur, et factus

est homo propter suum amorem, et mansit Deus propter suam naturam.

Deus igitur incarnatus et inhumanatus est, sicque ex Virgine natus est. Haec ergo credenda est Dei genitrix esse. Quod si Deus, cum fieret, mutatus esset, iam eam, non Dei genitricem, sed hominis genitricem conveniret appellari. Neque, si *Deus* alium hominem factum assumpsisset, potuisset illa naturaliter Dei genitrix vocari, sed genitrix hominis a Deo assumpti, vel hominis in quo Deus habitavit. Quia vero, secundum fidem nostram, id est, fidem Librorum divinorum, Deus non agnoscitur alium assumpsisse, nec mutatio ei accidit cum re vera fieret homo, quae Deum incorporatum peperit, esse veram Dei genitricem confitenda est: nam per inhumanationem Deus nati-
p. 251. vitatem humanam passus est, et creditur *Deus etiam quoad hanc nativitatem, quia non mutatus est cum homo fieret. Iure ergo meritoque Virgo, quae Iesum peperit, Dei genitrix dicitur, non solum quod sine coniugio peperit, sed etiam quod Deum incorporatum peperit, et quod ubique in Libris divinis Iesus praedicatur nasci potuisse quia incorporatus est. Nam nisi hoc prius factum esset, ipse non potuisset humanam nativitatem pati. Etenim, qui nascitur ex aliquo, necesse est possideat affinitatem cum eo ex quo nascitur, verbi gratia Deus cum Deo et homo quicumque cum parentibus naturalibus. Ergo filius Virginis, ut Deus, affinitatem habet cum Patre, et, ut homo, cum matre quae eum secundum carnem peperit; et utrique stirpi consubstantialis dicitur, essentiae scilicet et humanitati, neutra tamen ex his duabus naturis, quae in unionem convenerunt, seorsim in eo agnoscitur aut numeratur. Haec enim est virtus unionis quae facta est, ut duo, quae unita sunt, unum ostendat, quemadmodum sensus dualitatis est duo ostendere ea quae numerantur. Et qui Unigenitum in eius incorporatione numerant, corporalitatem aperte negant; nam si numeratur, ut hi contendunt, iam corpus invenitur non esse Dei sed hominis, quia corpus ad hominem, non ad Deum, naturaliter pertinet. Quod si unus creditur, quemadmodum nos confitemur, etiam postquam factus est, sicut erat antequam fieret: nam totus agnoscitur Deus quoad suum « esse » et totus homo quoad « fieri », corporalitas merito existimatur ad Deum pertinere, et dicimus ei esse spiritalitatem quia est, et corporalitatem quia factus est. Si vero,

ut hi dicunt, homo existimatur *natus quem Deus assumpsit aut p. 252. in quo Deus habitavit, in neutro casu corporalitatem Deo tribuere licet, quemadmodum non convenit eam de eo praedicari eo quod in unoquoque iusto habitat.

Fortasse illud alterum nobis obiiciant: Si *Deus* vere homo factus est, homo ergo est qui natus est; quia impossibile erat unum fieri, alterum vero nasci. Audiant a nobis *responsionem*: Ergo mutationem et infirmitatem in Deo praedicatis, quia, secundum sententiam vestram, non potuit suum « esse » divinum hic servare ubi voluit homo fieri? Apud nos autem utrumque firmum est: corporalitas scilicet et essentia Filii, et una cum istis etiam immutabilitas eius; essentia, quia Deus erat antequam fieret homo; corporalitas, quia ipse factus est et non alium factum assumpsit; immutabilitas, quia mansit Deus etiam ubi factus est homo. Quapropter dicentes Virginem esse Dei genitricem, postquam praedicamus Deum ex ea factum esse hominem, immutabilitatem Dei confitemur et dicimus Deum factum esse hominem et natum, et sic ostendimus eum, cum fieret quod sumus, non mutatum esse ab eo quod erat. Sed Virginem dicere genitricem Dei et hominis non licet; talis enim doctrina ad affirmandum eam esse genitricem tantum hominis nos ducit. Etenim, nisi idem sit homo Deus et idem Deus homo, qui in personis aut naturis non numeretur, nativitatem ex muliere homini omnino convenit, et locutio « genitrix Dei et hominis » invenitur significare Mariam esse genitricem *hominis tantum, sicut sensit et tradidit Nestorius. p. 253.

Etenim dicere « genitrix hominis » vel « genitrix Dei et hominis », idem est quoad sensum. Nam si ille qui natus est putatur esse duo, res est vel adhaesio vel inhabitatio, et in neutro casu nativitas potest Deo tribui, quemadmodum, cum Deus in unoquoque iusto habitavit, vel fuit cum eo, vel ei adhaesit, huius nativitas Deo non praedicata est. Quia vero puduit eos qui Nestorium sequuntur, Virginem aperte appellare hominis genitricem, eam vocant genitricem Dei et hominis, et quidam ex eis etiam Dei genitricem. Illi dualitatem, hi autem derivationem et honorem intellegunt. Nam aut secundum derivationem tribuunt Deo nativitatem humanam, aut secundum honorem putant hominem esse Deum. Et idem est nativitatem humanam nomine *tantum* Deo tribuere ac homi-

nem secundum honorem tantum appellare Deum. Quapropter, Virginem existimari genitricem hominis prorsus nihil differt ab eo quod genitrix Dei et hominis credatur. Etenim si duo existimantur nati esse, nativitas uni tribuenda est realiter, alteri vero nomine *tantum*; et qui factus est, sine dubio is est qui etiam natus est. Si igitur Verbum factum est caro, ut ait Iohannes, Verbum est quod natum est secundum carnem; si autem homo natus est, ut dicit haereticus, evidens est eum qui natus est, etiam factum esse. At si homo factus est in Virgine, nullo modo potuit absque coniugio formari. Nunc vero *res* non ita *se habet*, sed qui conceptus est est Verbum, et Spiritus sanctus causa fuit conceptionis, et illa, in qua Verbum incarnatum et conceptum est, Virgo est quae coniugium non cognovit. Et quemadmodum omnis mulier existimatur
p. 254. esse mater *hominis, licet *sola* caro eius qui nascitur ex sua carne sit, non vero anima eius ex anima sua; ita et Virgo credenda est Dei genitrix, quamvis corpus tantum, non autem divinitas eius qui natus est; ex ea sit. Nam non potest dari vera nativitas nisi « fieri » prius certum evadat; quod si « fieri » est hominis, ut ait haereticus, etiam nativitas ad hominem pertinet; et si nativitas est Dei, ei et « fieri » tribuendum est, quemadmodum Iohannes docuit et docet, dicens: « Verbum caro factum est ». Et si dicunt, ut mos ipsis est: Deus erat in homine qui natus est; etiam in hoc casu Virgo mater hominis invenitur, nam « fieri », non autem inhabitatio, nativitatem facit certam; et si « fieri » existimatur hominis esse, certum est et nativitatem ad eum pertinere. Si vero « fieri » est Dei, propter illud: « Verbum caro factum est », Dei est etiam nativitas ex matre; nam omnis filius, qui nascitur, debet et patrem et matrem habere.

Si homo est qui natus est, exinde necesse est eum habuisse patrem [1]; si autem Deus, id est, Unigenitus Filius, Deum Patrem ut Patrem habet, de quo dictum est [2]: « Misit eum factum ex muliere, factum sub lege ». Itaque, ut saepius dictum est, primum requiritur ut « fieri » cognoscatur et cuius sit; deinde post hoc, adducetur verbum de nativitate. Et quia

[1] Sensus haec postulat; textus corruptus videtur hoc loco. — [2] *Gal.*, IV, 4.

Iohannes evangelista persuasum habebat per illud « Verbum caro factum est » hoc « natum est » certum evadere, tacuit de nativitate et posuit « fieri ». Verbum factum esse carnem dixit, natum autem non scripsit. Neque aperte in hoc loco Virginem vocat Dei genitricem, quemadmodum nunc ab universa Ecclesia praedicatur; nam evidens est *eum per illud p. 255. « factum est » etiam hoc « natum est » intellexisse, quia impossibile erat unum fieri et alterum nasci. Verbum igitur factum est caro, id est, homo, propter hoc solum ut ad nos et propter nos exiret ut homo ex muliere, quae et ipsa creata fuit. Et ex ea natum est non spiritus sed corpus. Virgo enim puerum peperit compositum, formatum et membris coalescentem, qui est Deus incorporatus. Et mirabile est quod virgo mansit etiam post partum; nam quod ex ea exivit, corpus est, non spiritus est; ut verius loquamur, exivit ex ea Verbum incarnatum, spiritum incorporatum, Deum inhumanatum, et simplicem compositum. Signa virginitatis non corrupta sunt cum pareret: nam qui in ea caro factus est non mutatus est ab eo quod erat spiritus. Et peperit naturaliter et supra naturam; naturaliter quia carnem peperit, et supra naturam quia Verbum incarnatum peperit. Rursus, naturaliter quia quae peperit mulier est; supra naturam vero quia, dum est virgo, fit mater, et virgo etiam post partum permansit. Utraque res prodigium est; utraque admiratione vere plena: quod Deus natus sit ex virgine, et virgo potuerit Deum parere; quod is qui erat exierit ex utero ut corpus, et quod illa quae peperit etiam post partum virgo permanserit.

Itaque « fieri » Dei omni modo requiritur ad hanc nativitatem, ut sic firmum sit Deum esse qui natus est. Quod si « fieri » tribuitur homini in quo Deus dicitur habitasse, quae peperit mater est hominis, et canalis Dei. Quod enim Deus habitet in eo qui nascitur, eam quae peperit matrem esse Dei non probat. Etenim, neque Elisabeth existimata est mater Spiritus esse eo quod Spiritus sanctus erat in Iohanne qui *ex p. 256. ea natus est. Igitur, qui dicit Deum factum esse hominem, sed non ex Virgine, et qui docet hominem, non Deum, ex Virgine factum esse, ambo opinantur Deum per Virginem tanquam per canalem transiisse. Et ecce cum Nestoriani in argumento suo de corporalitate contra Eutychianos *id* ostendant, quomodo non in-

tellexerunt se in eamdem impietatem labi, eo quod dicunt Verbum carnem non factum esse, sed carnem factam esse et a Verbo assumptam? Si caro ei facta non est, id est, si non est incarnatus, sed caro facta est alii homini quem Verbum postea assumpsit, corpus est possessio huius *hominis*, qui Verbo familiaris tantum est sicut quilibet e iustis, nec corpus ad personam Verbi pertinet. Corpus autem agnoscitur vere ad Verbum, id est, ad personam eius pertinere, si credis ipsum vere hominem factum esse absque mutatione. Etenim, omnis homo, ex eo quod factus est, non vero ex eo quod corpus in nomine alterius formatum assumit et suum facit, existimatur corpus habere.

At haeretici, quia caeci sunt, et, quemadmodum de eis dictum est [1], palpant parietes ut caeci, et tangunt aliud pro alio, et offendunt in inventionibus suis, et ut errantes [2] irretiuntur laqueo opinionis suae, et ipsi capiuntur rete quo volunt alium capere: « Sane, *aiunt*, confiteatur quis Deum ex Maria hominem sumpsisse », eumque ex duabus naturis constare, ex assumptore et assumpto, sicut Eutyches [3] opinatur. Ecce, o stulte, qui ita sentit sequitur Eutychetis sententiam, et negat, sicut ille, corporalitatem Dei. Nam si Deus non creditur homo factus, *et p. 257. exinde corpus habuisse; si alium hominem putatur sumpsisse, corpus invenitur esse hominis, non Dei. Quomodo hac ratione corporalitas adscriberetur Deo? Quomodo corpus tribueretur Deo sicut cuilibet homini, si Deus putaretur hominem assumpsisse et in duabus naturis agnosceretur? Et tu, haeretice, sicut Eutyches, carnem a Deo evellisti ut alii homini coniungeres. Ille carnem negat, quia cum illo: « Verbum caro factum est » non confitetur etiam Verbum ex Virgine factum esse, et ex ea vere esse corpus eius, quemadmodum corpus cuiuslibet hominis ex matre eius est. Tu autem Deum corpore fraudas quia sentis non Verbum factum esse carnem, sed carnem, id est, hominem, creatam esse et Verbo adhaesisse. Sed si homo est, qui factus est cum non exsisteret; si Deus, qui est, non factus est homo quod non erat, caro ad eum qui factus est, pertinet, id est, ad hominem, non ad Deum. Tunc verbum illud « cor-

[1] Cf. Is., LIX, 10. — [2] Fortasse legendum: « sicut pueri ». — [3] Sic ms.; contextus vero « Nestorius » postulare videtur.

poralitas » apud vos, sicut et apud illos, invenitur esse sonus tantum; nam non confitemini Deum sine mutatione factum esse hominem, ut exinde credatur corporalitatem et inhumanationem habere. Voces enim huiusmodi, ei qui naturaliter homo est congruere non videntur; quia innuunt eum incorporatum esse cum esset supra corpus. Quapropter, nemo eorum qui mediocri intellectu gaudent et significationes verborum, vocum, et nominum callent, unquam ausus est dicere hominem inhumanatum esse, aut carnem incarnatam esse, *aut corpus factum esse corpus, aut corporeum incorporatum esse. Haec omnia tamen dicta sunt a sanctis Patribus de Verbo quod, cum supra ea esset semetipsum exinanivit ut in eis fieret. Et quia non erat homo antequam fieret, Patres dicunt ipsum inhumanatum esse; et quia non erat ei caro, incarnatum esse; et quia corpus non habebat, incorporatum esse; et quia corporeum non erat, corporeum factum esse. Confessio igitur talium verborum non solum veritatem eorum ostendit, sed etiam significat eum, qui in illis factus est, supra ea esse. Quemadmodum, ubi Scriptura Christum post inhumanationem dicit Deum, nos cogit ut eum insuper etiam hominem esse intellegamus, et ubi eum vocat hominem, urget nos ut simul etiam Deum sentiamus; ita et quodcumque ex his nominibus, quae Patres adhibent, *nos cogit ut* aliud nomen sibi adnexum intellegamus; illud « inhumanatus est » postulat ut agnoscamus eum antea non fuisse hominem; illud « incarnatus est », spiritum fuisse, non carnem; illud « corpus factus est », incompositum fuisse, non corpus; illud « incorporatus est », simplicem, non corporeum fuisse. Et quemadmodum per nomen Patris agnoscitur Filius, et per appellationem Filii Pater, non quia sunt in una persona, sed quia in una natura agnoscuntur: ita et per unumquodque ex his nominibus aliud cognoscitur; *scilicet,* eo quod Iesus vocatur « homo », eum esse Deum; per « carnem », eum non fuisse *antea* incarnatum; per « corpus », eum non fuisse *antea* corporeum; et per « corporalitatem », eum *antea* incorporatum fuisse. Unumquodque enim ex his nominibus alterum exacte manifestat, non in duabus personis, sicut Filius Patrem ostendit et Pater *Filium, sed in una eademque persona et natura. Etenim si ille, qui antea homo non erat, creditur inhumanatus, inhumanatio de

p. 258. p. 259.

eo praedicatur et in persona eius est. Quod si inhumanatio in eo consideratur, inhumanatio non invenitur habere aliam naturam extra eum; nam non sine inhumanatione agnitus est esse Deus. Quia homini cuicumque non est natura a natura proximi sui distincta, quamvis alia sit persona eius, aliae vero personae aliorum hominum, ita nec in Deo inhumanato quis, post inhumanationem, ostendere potest naturam inhumanationis solam aut naturam divinitatis solam. Nam inhumanatio non agnita est cum Dei non esset, nec Deus nobis revelatus est extra suam inhumanationem: « Revelatum est », inquit Paulus [1], « mysterium pietatis Dei in carne ». Quod si Verbum in carne revelatum est, Verbum enim Apostolus vocavit mysterium quia absconditum erat, ei qui illud extra carnem quaerit, nondum revelatum est; si enim in quo revelatum est, id est, in carne sua, non invenitur, nullo modo potest in alio inveniri.

Quapropter neque Nestoriani possunt Deum Verbum in alio homine invenire, quamdiu eum quaerunt extra eius inhumanationem, quemadmodum in nullo ex iustis et sanctis, per quos revelatus est, inventus est. Et sane etiam apud illos tantum fuisse agnitus est, non vero factum esse quilibet eorum; nam aliud est Deum revelari et agnosci exsistere, aliud autem credere eum factum esse id quod revelatus est. Hic autem cum in carne revelatus est, non tantum exsistere agnitus est, sed etiam factum esse id quod apparuit; quemadmodum ipse caeco dixit [2]: « Vidisti Filium Dei, et qui loquitur tecum ipse est ». Igitur si locutio illa: « Deus inhumanatus est », ostendit id
p. 260. quod Deus est *et id quod factus est, et manifestat eumdem esse Deum et hominem, quomodo quis posset duas naturas in eo admittere ratione unionis quae ex duobus conflata est? Ecce enim, si confiteris inhumanationem esse Dei et dicis divinitatem esse illius qui inhumanatus est, tunc non dicendum est Virginem peperisse hominem, neque Deum, si quidem ex ipsa non inhumanatus est, neque Deum et hominem in duabus naturis agnitos, quemadmodum Elisabeth, quae Iohannem peperit in quo erat Spiritus sanctus, non debet vocari aliquo ex his nominibus, sive genitrix Spiritus sive genitrix Spiritus et hominis. Etenim inhabitatio in alio qui nascitur nativitatem

[1] Cf. I *Tim.*, III, 16. — [2] IOHANN., IX, 37.

inhabitantis ostendere nequit, quia nativitas non denominatur ex inhabitatione, sed, sicut saepius dixi, ex « fieri », et conceptione, et cognatione secundum naturam.

Ita et de Virgine sentiendum est. Si homo in ea factus est, hunc peperit; si autem Deus factus est homo ex ea, quemadmodum Libri ubique praedicant et Doctores qui verba eorum recte intellexerunt tradiderunt, eum qui factus est etiam peperit; et merito in Ecclesia confitenda est Dei genitrix, quia eum peperit qui ex ipsa sine mutatione homo factus est, et, in ipsa conceptus, cognationem naturalem cum ipsa per incorporationem contraxit. Et, ut res nativitatis genuina esset, nam qui nascitur debet omnino consubstantialis esse illi quae parit, Verbum, quia factum est consubstantiale Virgini, id est nobis, secundum carnem, etiam natum est ex ea corporaliter, et idem est consubstantiale nobis secundum carnem et Deo secundum spiritum. Etenim, si ex inhabitatione in alio puero nato nativitas inhabitantis denominaretur, aequum esset Elisabeth appellari sive Spiritus genitricem, sive hominis et Spiritus genitricem, quia Spiritus erat *in puero Iohanne qui ex ea natus p. 261.
est, in quo scimus Spiritum habitasse statim ac perfecte formatus est. Ostendit enim evangelista Iohannem, sexto mense conceptionis suae, voce genitricis Dei audita, in utero exsultasse; nam mense, qui erat mensis sextus conceptionis Elisabeth, Maria dicitur ad Elisabeth venisse [1]. Et licet Spiritus tanto tempore antea in eo habitaverit, et evidenter statim ac informatus est anima per quam potuit Spiritum accipere, illa quae *eum* peperit, non appellata est genitrix Spiritus et hominis, sed tantum genitrix hominis in quo Spiritus habitavit. Non enim peperit Spiritum habitantem in homine, quia Iohannes erat templum tantum et vas Spiritus sancti. Nec Spiritus factus est in utero Elisabeth homo aut caro, sicut Deus Verbum in Virgine et ex ea. Quapropter Elisabeth existimatur genitrix hominis tantum, licet Spiritus esset in puero qui ex ea natus est.

Ita dicendum est etiam de Virgine. Si homo nove in ea creatus est, ut Iohannes in Elisabeth, etiamsi factus sit sine coniugio, et si Deus Verbum in eo, sicut Spiritus in Iohanne, habitaverit, ipsa propter hoc non potest Dei genitrix appellari.

[1] Luc., I, 36.

Etenim plene ostensum est nativitatem ex inhabitatione nullo modo denominari, sed tantum ex « fieri » et assumptione, vel ex conceptione et cognatione naturali. Si quis autem dicere vellet quod, statim ac formata est caro Verbum ei adhaesit et in ea habitavit, vel eam nomini et personae suae univit, neque hac ratione Verbi navitatem probare posset. Nam ex eo quod Verbum in puero de Virgine ab ipso principio habitasset, Spiritus vero in Iohanne sexto mense, hac de causa non liceret Mariam Dei genitricem existimari, Elisabeth vero non. Etenim p. 262. sive maturius, sive *serius Filius aut Spiritus sanctus in aliquo homine inhabitet, hoc non probat eum, qui domicilium est, Deum esse aut Spiritum, sicut clare ostendit exemplum ex nativitate Iohannis desumptum. Ex eo igitur quod Deus mature habitat in puero nascituro, quae hunc genuit non appellanda est Dei genitrix: si autem sero habitat, num ex hoc sumenda est haec appellatio? Gloria igitur qua Virgo sola prae omnibus mulieribus Dei genitrix appellatur, ei non advenit ex eo quod Deus mature habitaverit in puero ex ea nato, aut in homine ex ea assumpto; sed ipsa vocata est Dei genitrix quia Verbum ex ea incarnatum est, et absque mutatione homo factum cognationem naturalem cum ea contraxit.

Ecce enim et Iohannes Baptista, cum adhuc esset in utero et sex menses tantum conceptus, Spiritum sanctum, ut dictum est, accepit; nec tamen propter hoc existimatus est Deus esse. Item, nemo ex sanctis et prophetis, quorum alii serius, alii vero maturius Spiritum acceperunt, hac de causa factus est Deus, aut appellatus est filius naturalis et consedens cum Patre, quemadmodum ille, qui ex Virgine natus est, in Scriptura praedicatus est. Etenim, neque donum Spiritus, neque gratia prophetiae, neque quilibet honor a Deo datus potest hominem naturalem facere Deum, non quod dator infirmus sit, sed quod receptor non possit hoc accipere. Nam qui vere Deus est hoc ex natura habet, non autem ex dono. Scriptum est quidem Deum sese revelasse Moysi, octoginta annos nato, eique dedisse gratiam prophetiae, et appellasse etiam deum; attamen eum non appellavit deum secundum naturam aut super omnia, sed dicitur tantum quod eum constituit deum Pharaonis [1]. Et licet

[1] *Ex.*, VII, 1.

Moyses tardius quam ceteri prophetae *gratiam prophetiae acceperit, ipse solus prae omnibus vocatus est deus, et agnitus est primus maximusque prophetarum, ut manifestum sit hominem honorari non ex eo quod Spiritum mature accipit, sed ex mensura ipsius doni. Ieremias vero, antequam crearetur, segregatus est ut esset propheta: « Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de vulva sanctificavi te [1] »; sed, hac de causa, non existimatus est deus aut dominus esse. Ita et David, adhuc iuvenis, unctus est et Spiritum sanctum accepit [2]. Daniel etiam duodecim annos natus factus est propheta [3]: rursum, Ezechiel videtur adolescens fuisse cum dignus habitus est qui visionem terribilem videret [4]; similiter Scriptura innuit Isaiam cum eadem aetate esset factum esse prophetam [5]: et forsan alii theophori et sancti, cum adhuc iuvenes essent honorati sunt. Quod si propter inhabitationem Filii, vel Spiritus sancti, aut Dei et Patris, homo posset fieri deus et dominus secundum naturam, et consedens cum Patre, omnes quos recensuimus, etiam ad hunc honorem evehendi fuissent, et non hi tantum, sed etiam quicumque mandata servavit. Dixit enim Dominus noster [6]: « Qui diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ego et Pater meus veniemus et mansionem apud eum faciemus »; et rursum, de discipulis suis dixit Patri suo [7]: « Da eis ut unum in nobis sint, sicut ego et tu unum sumus »; sed nemo ex eis, propter inhabitationem Filii aut Spiritus aut sanctae Trinitatis, existimatus est aequalis Patri, aut vocatus est verbum vel spiritus. p. 263.

Ita nec Iesus Dominus noster, si non est natura Deus, propter inhabitationem Dei tantum hoc poterat accipere, aut, propter adhaesionem, Verbum incarnatum vel Deus *inhumanatus appellari. Erat quidem in Iohanne Spiritus quem ab utero accepit, sed propter hoc Scriptura nusquam Iohannem vocavit Spiritum sanctum, aut Spiritum et hominem, aut hominem et Spiritum, quemadmodum ubique Iesum appellat et dicit Deum super omnia et Deum magnum, et rursus aliis locis eumdem dicit hominem. Si quis propter inhabitationem posset existimari deus, etiam Iohannes ad hunc honorem evehendus erat, etsi non sicut Iesus p. 264.

[1] IER., I, 5. — [2] I *Reg.*, XVI, 13. — [3] Cf. DAN., I. — [4] Cf. EZ., I. — [5] Cf. IS. I. — [6] IOHANN., XIV, 23. — [7] IOHANN., XVII, 21.

saltem gradu minori; et pariter ac ille etiam quicumque iustus, iuxta mensuram doni apud ipsum, appellandus erat deus, et filius, et dominus, et spiritus, eo quod Spiritus sanctus in eo habitavit; et honor Moysis fieret minor honore horum omnium quia tardius quam ceteri Spiritum accepit et appellatus est propheta. Verumtamen res nos docuerunt cogitare non ex praehabitatione honorem augeri nec ex tarditate inhabitationis minui, sed, ut dixit Apostolus, ex mensura doni quod Spiritus largitur.

Apparet igitur ex omni loco, propter inhabitationem Dei vel Spiritus in homine, aut propter praeinhabitationem, eam quae peperit Dei genitricem aut Spiritus genitricem appellari non posse, neque eum qui ex ea natus est, Deum et hominem, aut Spiritum et hominem existimari posse. Similiter nec Virgo potest recte vocari Dei genitrix, aut genitrix Dei et hominis, ex hoc tantum quod Deus erat in eo qui ex ea natus est, nisi qui ex ea natus est primum credatur ex ea incarnatus et inhumanatus et, quia Deus est, absque mutatione homo factus. Etenim, si eius « fieri » re verum est, inde etiam nativitas invenitur realis; si autem « fieri » accipitur nomine tantum, et cum
p. 265. *alius factus sit Deus dicitur homo factus, etiam illud « natus est » ita accipiendum est, nempe, ex eo quod homo natus est in quo Deus habitabat, nativitas de Deo metaphorice accepta est: et quod metaphoricum est evidenter similitudo est et in opinione tantum fundatur. Quod si « fieri » et nativitas opiniones sunt, evidens est cetera et totam dispensationem in carne ita esse. Quid aliud, o stulti, a vestra confessione differens, tenent Manichaei, inter omnes doctrinas maxime impii? Quod si dicant se Virginem existimare non genitricem hominis tantum, sed etiam genitricem Dei, ut qui natus est Deus et homo habeatur, sciant quod Scriptura non docet eam peperisse duos, sed unum qui est Deus inhumanatus. Ait enim [1]: « Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iuda ». Et iterum angelus dixit Virgini [2]: « Paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur ». Et idem ipse pastoribus ait [3]: « Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Ingredimini: invenietis puerum pannis

[1] MATTH., II, 1. — [2] LUC., I, 31-32. — [3] LUC., II, 11, 12.

involutum et positum in praesepio ». Et de ipsa Virgine dictum est [1] : « Cum impleti essent dies eius ut pareret, peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio ». Et rursum, ubi Evangelista docet eum conceptum fuisse, unius significat, non duorum, fuisse conceptum [2] : « Iesu Christi nativitas sic erat : Cum desponsata esset Maria mater eius Iosepho, cum non convenissent, inventa est gravida de Spiritu sancto » ; et Iosepho ait angelus [3] : « Qui natus est in ea de Spiritu sancto est ; pariet filium et vocabis nomen eius Iesum ». Et rursum quoad circumcisionem unus agnoscitur [4] : « Et cum impleti essent dies octo ut circumciderent eum, etiam *vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo p. 266.
priusquam in utero conciperetur ». Pariter, cum deduxerunt eum in templum ut offerrent oblationes purificationis, unum deductum esse, et munera pro uno oblata fuisse scriptum est [5] : « Et postquam consummati sunt dies purgationis, secundum legem Mosis, tulerunt illum in Ierusalem ut sisterent eum coram Domino, sicut scriptum est in lege Domini : Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur ». Ubique igitur reputatur Virgo nobis unum peperisse, qui est idem ipse Deus et homo seu Deus inhumanatus : in annunciatione, in generatione, in conceptu, ubi natus est et positus in praesepio ; rursum, et ubi accepit circumcisionem et adscendit in templum obtulitque munera, haec omnia et singula unius esse manifestum est, quem nemini licet in personas vel in naturas numerare. Etenim, non unum incarnatum et conceptum esse scriptum est, et duos natos esse cogitandum, ut isti dicunt : qui incarnatus est unus et qui nati sunt duo, Deus et homo. Non enim duplicatum est Verbum in utero, nec numero auctum, quoniam non hominem sumpsit sibi qui cum eo numeraretur, sed ipsum factum est sine mutatione homo ; et insuper ne possibile quidem erat ut Deus cum homine numeraretur, sed ipse factus est id quod est unusquisque nostrum, praeter peccatum et concupiscientiam et quae ab extra ingressa sunt plasmationem nostram. Sicut erat unus filius incorporeus antequam fieret, ita mansit unus incorporatus postquam factus est. Nec accepit Trinitas

[1] Luc., ii, 6. 7. — [2] Matth., i, 18. — [3] *Ibid.*, 20. — [4] Luc., ii, 21. — [5] Luc., ii, 22, 23.

augmentum per numerum extraneum: nec in ea ingressa est nove persona quae ipsius non erat; nam est semper absoluta et p. 267. perfecta, nec *quid* sibi addere patitur nec a se detrahi *sinit, sed credendum est eam esse semper id quod est essentialiter et tripliciter. Et sicut non licet dicere eam esse creaturam: ita nec *eam* recipere ab extra aliquam creaturarum quae cum ea sit aut numeretur. Si autem dicant: Ecce caro ei extranea est, siquidem ab humanitate desumpta est; quomodo non existimabitur *Trinitas* recepisse creaturam? Audiant quod ignorant. Non agnita est prius caro creata et deinde facta est creatoris, nec [secundum esse] et numerum suum unita est Unigenito, sed ipse Unigenitus quando incarnatus est et inhumanatus sibi sumpsit humanitatem nostram, et notus est integer homo in quantum factus est sicut est integer Deus in quantum est, totus nobis consubstantialis per carnem et totus Patri per Spiritum. Non enim agnita est caro in Verbo quae fuerit natura alia ab ipso et postea ipsius facta sit: quia ipse natus est qui caro factus est. Et si ipsius fuit, non vero alterius naturae humanae quae seorsum exstiterit, ubi est locus cogitandi Christum creatorem et creaturam, Dominum et servum, Deum et hominem, in duas formas postquam inhumanatus est? [Si quis] ita sentit aut praedicat, reiicit inhumanationem, solvit unionem et pro hac inducit sive adhaesionem sive inhabitationem in homine assumpto. Haec etiam Nestorianus opinatus est; nam qui duarum naturarum praedicat eum qui natus est, necessario duos incorporatos esse intellegere debet: hominem qui natura sua corporeus est, et Deum incorporeum qui incorporatus est. Si autem ita sentire non licet, neque Iesum esse duo in nativitate, nec *licet* admittere nisi unam tantum personam et naturam incarnatam. Etenim, quicumque in humanatione duas naturas p. 268. intellegit, aut ignorat quod dicit aut si noscit voluntarie *peccat quo magis damnetur.

Nos vero, sicut audivimus e Libris sacris et ex eis qui his adhaeserunt, Patribus beatis, ita didicimus, et docemus et tenemus, et credimus in unum Filium Dei cum Patre et Spiritu sancto, qui est consubstantialis et coequalis Dei Patris, splendor et imago personae eius, omnipotens virtute verbi sui, qui in gloria sua, sicut dixit Apostolus [1] exinanivit semetipsum et

[1] Cf. *Philip.*, II, 8.

venit ad mensuram nostram, et incarnatus est et inhumanatus est ex ea quae eum genuit, sancta et virgine Dei genitrice, et nobis assimilatus est in omnibus praeter peccatum, et carnem nostram fecit suam, et animam simili modo *ostendit sibi esse, quia incorporatio non sola incarnatio est sed etiam animae informatio. Et, cum primus homo in se totam naturam hominis confregisset, idcirco *Christus* restituit et renovavit [totam naturam] quam perdiderat tentator per transgressionem mandati; quia impossibile erat [nisi] is peccato [occurrerit] et expertus fuerit passiones, [dolores] et mortem, alio modo renovaretur et posset recuperare quae per peccatum perdiderat. Et ideo plenus et perfectus Deus Verbum omnino integer homo est postquam factus est; idem ipse est, non per mutationem sed per mirabilem operationem, Deus homo et homo Deus, qui agnoscitur in ..... et ....., absconditus et revelatus, simplex et compositus, infinitus et definitus, forma Dei et imago servi, sine initio et sub tempora. Et in singulis istis ................ cum quidem exinde Filius Dei et Deus venit, et quatenus Filius Dei factus est caro, et natus est e muliere. Evidens est quod esse Deum et Filium ex essentia habet, quia aequalis est Patri ........... Pater caelestis et Adam terrenus, imago eius qui *genuit et forma naturae incarnatae; non in duas [naturas] aut in duas formas, sed in una [forma] et imagine et persona et natura, quia « esse » habet ex essentia et « fieri » novissime e Virgine. Et est generatio non alius sed ipsius qui est, qui cum factus est non duplicatus est, sed mansit in singularitate sua etiam postquam inhumanatus est. Et sicut verum est eum esse, ita et eum factum esse. Nec est suspicio aut error in hoc mysterio, quod falsum non reputandum est inde quod non intellegitur; sed hac de causa magis nobis credendum est haec omnia a Deo facta esse supra captum intellectus [cuiuslibet,] et sicut confitendum est eum esse Deum quia [est, ita et] decet credere eum, in quantum factus est, hominem [esse] ................... filius ........... Verbum; homo Iesus Christus, qui est idem ipse Deus et homo: Deus in quantum est, homo autem in quantum factus est; [qui absconditus] et revelatus est, [qui secretus] et manifestatus est, [conclusus] qui infinitus est, palpabilis qui est supra sensum, qui est in loco et qui implet omnia, qui reponitur in praesepio

p. 269.

p. 270.

et est supra thronum, qui portatur in ulnis et [sustinet] universa, qui sugit lac et . . . . ., [qui patitur] circumcisionem p. 271, [et . . . . .], qui offert *hostias et accipere [oblationes . . . . .], qui reputatur cum peccatoribus cum ipse dimittat peccata, qui baptizatur in aquis et implet nos . . . . . . . . . . . . . . ., [filius] dilectus, qui est in passione et manet impassibilis, qui [experitur mortem cum habeat] immortalitatem, qui diripit, quatenus mortuus, thesauros τοῦ š ĕ ō l mortisque et habitat, quatenus vivus, in caelis caelorum, qui adnumeratus est mortuis in sepulcro et ab eo surrexit tertia die in gloria Patris sui factusque est ab eo, sicut scriptum est [1], Dominus mortuorum et vivorum: qui est ubique et in omnibus ex Trinitate Unigenitus Filius Dei: ipsi gloria, et eius Patri et Spiritui eius sancto, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

[1] *Rom.*, XIV, 9.

EXPLICIT.

# INDEX BIBLICUS.


Liber *Genesis*

| | |
|---|---|
| I, 1, 3 | p. 117. |
| I, 6 | p. 118. |
| I, 26 | p. 35. |
| I, 31 | p. 38. |
| II, 15 | p. 174. |
| II, 17 | p. 35. |
| II, 21, 22 | p. 174. |
| II, 24 | p. 120. |
| III, 9 | p. 125. |
| V, 24 | p. 175. |
| —, 29 | p. 157. |
| VI, 6 | p. 125. |
| —, 12 | p. 166. |
| XI, 31 | p. 175. |
| XVIII, 14 | p. 177. |
| —, 21 | p. 125. |
| XXI, 22 | p. 157. |
| XXII, 18 | p. 157. |
| XXXVIII, 27-30 | p. 157. |
| XLVIII, 13-22 | p. 158. |

*Exodi*

| | |
|---|---|
| III, 2 | p. 87, 88. |
| —, 3, 5 | p. 87. |
| —, 14 | p. 27. |
| IV, 2 | p. 89, 119, 125. |
| —, 3, 4 | p. 89, 119. |
| —, 6, 7 | p. 89. |
| VII, 1 | p. 194. |
| —, 19, 21 | p. 89. |
| VIII | p. 87. |
| IX, 8-11 | p. 87. |
| —, 24 | p. 87. |
| X | p. 87. |
| X, 21-23 | p. 87. |
| XIII, 21-22 | p. 87. |
| XV, 25 | p. 90. |
| XVI | p. 87. |
| XVI, 14 | p. 89. |

*Levitici*

| | |
|---|---|
| XXVI, 31 | p. 125. |

*Numerorum*

| | |
|---|---|
| XVI, 35 | p. 90. |
| XVII, 1-8 | p. 90. |
| XXI, 9 | p. 87. |
| XXV, 8 | p. 80. |

IOSUE

| | |
|---|---|
| III, 16 | p. 90. |
| VI, 20 | p. 90. |

*Iudicum*

| | |
|---|---|
| VI, 36-40 | p. 90. |
| XIII, 3-5 | p. 158. |
| XV, 19 | p. 87. |
| XVI, 17-24 | p. 90. |

I *Regum*

| | |
|---|---|
| I, 1 | p. 118. |
| I, 27, 28 | p. 158. |
| XVI, 13 | p. 195. |

III *Regum*

| | |
|---|---|
| I, 13 | p. 156. |
| XIII, 2 | p. 156. |

xvii, 14 p. 90.
xix, 18 p. 168.

IV *Regum*

ii, 8, 14, 21 p. 90.
iv, 42-44 p. 91.
vi, 6-7 p. 90.
xxiii, 22 p. 118.

*Psalmorum*

xvi, 6 p. 125.
xxi, 18 p. 141.
xliii, 23 p. 125.
xlix, 16, 17 p. 176.
xcix, 3, 4 p. 160.
ciii, 24 p. 83.
cix, 3 p. 24.
cxvii, 22 p. 169.
cxxxiv, 6 p. 61.
cxxxviii, 5 p. 156.
— 6 p. 83.
cxlviii, 5 p. 117.

*Proverbiorum*

vi, 14 p. 126.

Isaiae

i p. 195.
vi, 3 p. 22.
ix, 6 p. 40.
xxviii, 16 p. 169.
xlii, 1 p. 102, 103.
lii, 13 p. 103.
—, 14 p. 104.
liii, 3 p. 55.
—, 4-7, 9, 10 p. 123.
lix, 10 p. 190.

Ieremiae

i, 5 p. 133, 156, 195.
xvii, 5 p. 42.

Baruch

iii, 38 p. 127.

Ezechielis

i p. 195.
iii, 12 p. 22.
viii, 3 p. 175.
xix, 5, 6 p. 118.

Danielis

i p. 195.
ii, 34 p. 169.
vii, 9 p. 11.

Osee

iii, 1 p. 80.

Ionae

ii, 1 p. 90.

Zachariae

xii, 1 p. 137.

Malachiae

iii, 6 p. 171.

Ev. Matthaei

i, 18 p. 54, 175, 197.
i, 20 p. 175, 197.
i, 21 p. 42, 160.
i, 23 p. 127.
ii, 1 p. 196.
ii, 13 p. 129.
iii, 17 p. 103.
viii, 20 p. 140.
xi, 27 p. 25, 67.
xii, 39 p. 90.
xiii, 44 p. 40.
xxvi, 38 p. 140.
—, 40, 41 p. 141.
—, 61, 64, 65 p. 141.
xxvii, 42 p. 142.
xxviii, 19 p. 29.

Marci

i, 1 p. 176.

Lucae

i, 13, 15-17 p. 158.
i, 31 p. 176, 196.
i, 32 p. 196.
i, 34 p. 49.
i, 35 p. 47, 49, 74, 175.
i, 36 p. 193.

I, 37 p. 61, 177.
II, 6 p. 77, 197.
II, 7 p. 129, 197.
II, 11, 12 p. 196.
II, 13 p. 68.
II, 14 p. 22.
II, 21-23 p. 197.
X, 22 p. 183.
XXII, 30 p. 85.
—, 43 p. 141.

IOHANNIS

I, 1, 2 p. 59, 128, 177.
I, 6 p. 118.
I, 12-14 p. 92, 179.
I, 13 p. 113.
I, 14 p. 35, 40, 41, 104, 108, 178.
I, 29 p. 122.
II, 21 p. 47.
III, 14 p. 87.
—, 16 p. 76, 160, 163
IV, 24 p. 29, 35, 43.
IX, 35 p. 39.
—, 37 p. 39, 192.
—, 38 p. 39.
XI, 51, 52 p. 42.
XII, 27 p. 140.
XIV, 2 p. 85.
—, 6 p. 170.
—, 9 p. 127.
—, 23 p. 195.
XV, 1, 5 p. 165.
—, 16 p. 75.
—, 26 p. 24.
XVII, 3 p. 25.
—, 6 p. 67, 183.
—, 21 p. 119, 195.
XIX, 28 p. 141.

*Actus Apostolorum*

IV, 11 p. 169.
—, 32 p. 119.
IX, 15 p. 158.
X, 38 p. 38.
XIII, 22 p. 168.
XVII, 28 p. 15, 45.
XXVIII, 27 p. 163.

Ep. ad *Romanos*

I, 3 p. 162.
I, 22 p. 163.
II, 11 p. 112.
II, 21 p. 96.
V, 10, 11 p. 160.
VI, 6 p. 122, 124.
VIII, 3 p. 108, 160, 176, 184.
—, 17 p. 179.
—, 21 p. 159.
—, 32 p. 160.
IX, 5 p. 38, 125, 181.
—, 12, 13 p. 157.
X, 17 p. 146.
XIV, 9 p. 200.

I ad *Corinthios*

I, 25 p. 56.
III, 11 p. 165, 169.
—, 16 p. 127.
—, 22, 23 p. 70, 160, 161.
VIII, 6, 9 p. 41.
IX, 16 p. 155.
X, 4 p. 87.
XV, 47-49 p. 170, 179.

II ad *Corinthios*

IV, 15 p. 70.
V, 17 p. 165.

ad *Galatas*

I, 15, 17 p. 158.
III, 13 p. 121, 125.
—, 19 p. 138.
IV, 3 p. 132.
IV, 4 p. 41, 108, 145, 160, 176, 182, 184, 188.
IV, 5 p. 132.
IV, 26 p. 85.

ad *Ephesios*

I, 4 p. 75, 133, 158.
II, 6 p. 179.
II, 10 p. 93.
III, 18 p. 21.
IV, 9, 10 p. 138.
—, 13 p. 119.

ad *Philippenses*

II, 5-8 p. 78, 98.
II, 6-7 p. 74.
II, 7 p. 57, 136.
II, 8 p. 57, 198.
II, 10 p. 155, 159.

ad *Colossenses*

I, 16 p. 162, 163, 165.

I ad *Timotheum*

III, 16 p. 105, 192.
VI, 16 p.20.

II ad *Timotheum*

II, 12 p. 179.

ad *Hebraeos*

I, 2 p. 64.
I, 6 p. 68, 78, 111, 159.
II, 2 p. 138.
II, 11, 12. p. 180.
II, 14 p. 35, 41, 176.
II, 16 p. 38, 41.
IV, 15 p. 176.
VII, 14 p. 41.
X, 5 p. 35, 47, 54.
X, 9 p. 57.
XI, 3 p. 145.
XII, 23 p. 86.
XIII, 8 p. 41.

I Petri

II, 24 p. 122, 124.

I Iohannis

I, 1, 2 p. 178.
IV, 2 p. 176.

BQ
3981
.H4
T62
v.2
Philoxenus, Bp. of H.
Tractatus tres de tri

Philoxenus, Bp. of H.

Tractatus tres de
trinitate et ...

BQ
3981
.H4
T62
v.2

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5, CANADA